RERVM ANDOCIDEARVM

PARTICVLA I.

SCRIPSIT

FRIDERICVS VATERVS

IO. SEVER. F.

BEROLINI MDCCCXL.

APVD GVSTAVVM EICHLERVM.

VIRO CLARISSIMO

MAVR. HERM. ED. MEIERO

S.

L. S.

Cum hunc libellum excepta plagula tertia ederem pro summis in philosophia honoribus rite obtinendis et una cum sententiis controversis defenderem, erant qui dissertationem tradi iuberent librario, quo copia esset emturis: nec ipse nolebam virorum doctorum iudicia experiri. quapropter iis, quae de maioribus Andocidis oratoris disputaveram, quaestione addita de anno natali huius oratoris, Caput primum conclusi, propediem alia occasione Caput secundum et tertium editurus, Lysiae oratoris natalibus emendandis destinata et constituendo Reipublicae Platonicae tempori: qua triplici commentatione quaestio de anno natali Andocidis absolvitur. quae vero supersunt Rerum Andocidearum capita ita distribui, ut ea Libro priori assignarem, quae facere viderentur ad reperiendum scriptorem orationis in Alcibiadem habitae, Libro altero de vita et orationibus Andocidis acturus. itaque Libri prioris quae reliquae sunt partes duae, earum altera sive Capite quarto orationem de ostracismo, cum non possit Andocidi tribui, Phaeaci vindicabo; postremo Capite quinto eos refellam, qui hanc orationem in rhetorum scholis fictam esse dixerunt.

Rebus Andocideis expositis cum Phaeacis orationem tum Andocidis orationes recensitas edam atque illustratas: sed donec haec lucem viderint, adiiciam hoc loco, quae de reliquis Andocidis propinquis p. 45 promisi. primum igitur ut de *Eucrate* dicam, quem orator, ubi propinquos plerosque omnes, Dioclidis nuntio in carcerem coniectos, commemoravit [1]), ultimo paene loco nominavit; vocatur hic Eucrates Niciae frater, Calliae affinis, et Lysia teste [2]) putandus est celebris Niciae frater, quem Triginta interfecerunt [3]).

---

[1]) De myst. 47. [2]) Vid. orat. in Pollochum, cuius actor Eucratis Andocidei filius fuit. [3]) Vid. Lys. l. l. 5. 22. 23. Suidas s. voc. Ἄπεστιν p. 554 Bernh. cf. schol. Aristoph. Equ. 253. 254.

propter Photium [4]) collato Hesychio [5]) hunc crederes Melitensem, nisi constaret hodie e titulis [6]), Niciam Nicerati filium, Eucratis fratrem, Cydantidam fuisse: ac profecto nihil obstat, quominus Aristophanis aetate praeter Niciae fratrem etiam Melitensis quidam Eucrates famosus fuerit. nec dubites utrius *Calliae* affinis (*κηδεστής*) censendus sit Eucrates: nam quanquam duos Callias Andocidi scimus affines, alterum Alcmaeonis filium, consobrinum Leogorae, Teleclis [7]) filium alterum, Euphemi fratrem, generum Leogorae; tamen satis probabile videtur, Eucratem Alcmaeonis filio fuisse affinem. ipse enim Andocides [8]) cum prodiderit suam sororem Calliae Teleclis filio nupsisse, nequit Teleclis filius Eucratis gener haberi; nec Eucratem huius Calliae aut generum aut affinem dixeris, quia Eucrates, quippe Niciae frater, aetate longe provectior erat Teleclis filio: igitur haud errabimus, si Calliam Alcmaeonis filium Eucrati contenderimus affinem fuisse.

Qui *Callias* si consobrinus Leogorae erat, patres necesse est Andocides et Alcmaeo aut fratres fuerint aut alter alterius sororem duxerit. prius non verum est, si hic *Alcmaeo* notus Themistoclis adversarius [9]) statuitur, cuius filius *Leobotes* decreto effecit, ut Themistocles Olymp. LXXVI, 3. aut 4. capitis damnaretur [10]). Leobotes enim Alcmaeonis f. *Ἀγραυλῆθεν* erat [11]), cum Andocidem constet Cydatheniensem fuisse. neque vero credibile est, Calliam, Leogorae consobrinum, Leobotis fratrem fuisse, quia vix natus fuerit Leogoras, quo tempore Leobotes iam accesserat ad rempublicam et satis clarus fuit. est tamen cur illum Alcmaeonem affinem statuas Andocidi: nam ut taceam filiorum no-

---

[4]) Lex. s. voc. *Μελιτέα κάπρον* p. 256, 7. [5]) Sub. voc. *Μελιτεὺς κάπρος*. [6]) Vid. Böckh. „Die Peiraeeus-Inschriften" p. 246 sqq. [7]) Hoc nomen extat etiam apud Herodot. III, 41. Polyb. Legat. 122 extr. Diog. Laërt. IV, 60. cf. Wess. ad Diodor. I, 98 p. 110, 30. Valcken. ad Herod. l. l. [8]) De myst. 42. 50. [9]) Plutarch. Vit. Aristid. 25. [10]) Vid. Craterum Photii Porsoniani p. 667, 19 (coll. Meiero de Ostracismo p. 184 not. 76). Plutarch. Vit. Themist. 23. de Exil. 15 vol. IV p. 133. [11]) Craterus l. l. Plutarch. Vit. Them. l. l.

mihi cognata esse, inde etiam explicetur, cur Philurgus Andocidem reum egerit Gorgonei surrepti, qua de re dixi p. 23 sq. Philurgus enim auctore Themistocle Gorgoneum surripuerat et videtur eiusdem consilio Andocidem huius furti accusasse, quo et ipse tutior esset et adversarios Themistoclis terreret: crediderim enim Alcmaeonem cum filio Leobote et cum affini Andocide auctores extitisse, ut terra pugnaretur cum Xerxe. haec igitur si quis probabilia censeat, Alcmaeoni praeter Leobotem tribuendus erit filius cognominis, ut huius alterius Alcmaeonis filius habeatur Callias, Leogorae consobrinus.

Aeque incerta sunt reliqua: nam ut taceam de *Phrynicho*, qui vocatur *ὁ ὀρχησάμενος*, Andocidis consobrino, ne *Taureas* quidem satis notus est, qui ut Callias Alcmaeonis f. consobrinus Leogorae dicitur et *Nisaeum* filium genuisse; probabiliter tamen statuit Meierus [12]), non diversum esse Alcibiadis adversarium [13]). fieri etiam potest ut Taureae palaestra, iam clara initio belli Peloponnesiaci [14]), non paedotribae sed conditoris nomen gesserit. Antiphanis [15]) tamen aetate alius Taureas propter gulositatem famosus erat, quem commemoraverit etiam Philetaerus [16]); atque comparet Taureas quidam apud falsum Demosthenem [17]). ultimo loco de *Leagro* dico, quem constat Epilyco cognatum fuisse, sed non liquet cuius filius fuerit, aut qua ratione genus Epilyci attigerit. quodsi Andocides [18]) prodidit, Epilyco mortuo alteram eius filiam epiclerum ad se, alteram vero ad Leagrum pertinuisse, genere proximos fuisse patet Andocidem et Leagrum: et propiorem fuisse Leagrum inde collegeris, quod, defuncta altera virgine, reliquam Leagro cessit Andocides [19]); igitur cum Andocidem sciamus consobrinum puellae fuisse,

---

12) De Andocidis qui fertur orat. c. Alcib. V, 7 p. 26. 13) Vid. Phaeax in Alcib. 20 sq. Demosth. in Mid. p. 562. Plutarch. Vit. Alcib. 16. 14) Vid. Platon. Charmid. pr. unde sumserunt Lucian. Parasit. 43. Liban. Decl. vol. I p. 574 Reisk. 15) Ap. Athenae. VIII p. 342 E. F. p. 343 D. 16) Ap. Athen. X p. 416 F: *τὸν Ταυρέαν δὲ τοῖς πόνοις ὑπερβαλῶ*, quae non satis capio. fortasse scripsit *δ' ἐν τοῖς πότοις*. 17) Epist. III p. 1478. 18) De myst. 117 sqq. 19) Ibid. 120.

Leagrum avunculum putaverim, ut Callias, quo Andocidem depelleret, Protarchum proditur subornasse sponsum[20]), qui erat avunculus virginis[21]). quare fieri potest, ut Leager aut frater Epilyci fuerit aut filius Ischomachi e Chrysiade: neque enim unquam recte demonstraveris, Leagrum Andocideum celebris Glauconis filium fuisse[22]). denique memoriae causa addo, nescio cuius Aristidis filiam Andocidis *ἀνεψιὰν* vocari[23]).

Scr. Berolini d. XVIII. m. Iul. MDCCCXL.

---

[20]) Ibid. 121. [21]) Ibid. 129. [22]) Vid. Meinek. Quaest. scen. II p. 19. Clinton. Fast. Hell. vol. II p. 263. cf. Sluiter. Lect. Andoc. p. 14. 95. Bergk. de Com. Att. p. 57 not. [23]) Pseudoplutarch. Vit. Andoc. p. 834 E.

Addenda et Corrigenda.

P. 4. in textu l. 5. a fin. pro *Arcesio* scr. *Cephalo*. ceterum de Cephali et Procridis rebus consuli potest Schwenck. in Welckeri Mus. Rhen. vol. VI. p. 522 sqq. (Kephalos und Prokris, eine mythologische Untersuchung), nisi quis talia merito fastidiverit. — ibid. not. 22. pro *Κεφαλληνία* scr. *Ἀρκείσιος* p. 144, 25. — p. 5. l. 2. scr. *καὶ δὴ* pro *δὲ*. — ibid. l. 4. scr. *τεκεῖν παῖδα Ἀρκ.* — p. 6. not. 30. add. Epaphroditus ap. Etym. M. s. voc. *Κεφαλληνία* p. 507. loco corruptissimo: *ἐκ Λυσίππης ἔσχεν (Κέφαλος) Σαμαῖον, Κράνεων καὶ Παλαίων, ἀφ᾽ ὧν οἱ ἐν τῇ Κεφαλληνίᾳ Πρόνοοι, Σαμαῖοι, Κράνειοι, Παλεῖς προσηγορεύθησαν.* — p. 13. not. l. 1. ne quis Isocratis locum minus disertum censeat propter additum *ὁ μὲν πρὸς πατρὸς ὁ δὲ πρὸς μητρός*, moneo e nostra loquendi ratione dicendum fuisse *Ἀλκιβιάδης καὶ Κλεισθένης. ὁ μὲν πρὸς πατρὸς ὁ δὲ πρὸς μητρὸς ὢν πάππος τοῦ πατρὸς τοὐμοῦ.* — p. 24. not. 26. add. Athenae. IX. p. 405. F. — p. 25. not. l. 25. scr. *κεκόσμηνται.* ad rem cf. Callixenus ap. Athenae. IX. p. 387. D. — p. 26. not. 137. add. Athenae. XI. p. 462. B. — p. 34. not. l. 12. adde post *Ἀρμενίας*: tum Asclepiades Myrleanus ap. Athenae. IX. p. 489 extr. *τῶν καρπῶν ἀρχὴ γενέσεως καὶ συναίρεσιν.* — p. 35. l. 1. scr. *ἀδικῶ.* — p. 37. lin. 19. scr. *ἐξηκοντούτης.* — p. 38. not. 186. l. 6. scr. *συμφέρον* et *ʼστὶ.* — p. 43. l. 17. scr. ***harum.***

Berolini formis Nauckianis.

CAPUT PRIMUM.

ANDOCIDES LEOGORAE F. ATHENIENSIS 1). qui cum et generis antiquitate et gloria maiorum unus maxime floreret, circa illud tempus, quo Athenienses Syracusiis bellum intulerunt, in carcerem coniectus est: unde non sine ignominia evasit. exul postquam frustra aliquoties redire in patriam conatus est, tandem expulsis Triginta Oblivionis lege restitutus est. sed ab initio ordiendum est. *generis* sui et *antiquitatem* et *claritatem* saepius ipse Andocides 2) commemoravit, atque egregio hoc praeconio in oratione de mysteriis 3) habita ornavit suos maiores, *οἳ πλείστας μὲν στρατηγήσαντες στρατηγίας πολλὰ τρόπαια τῶν πολεμίων καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν ὑμῖν ἀπέδειξαν, πλείστας δὲ ἄλλας ἀρχὰς ἄρξαντες καὶ χρήματα διαχειρίσαντες τὰ ὑμέτερα οὐδὲν ἂν πώποτε ὦφλον, οὐδ᾽ ἡμάρτηται οὐδὲν οὔτε ἡμῖν εἰς ὑμᾶς οὔτε ὑμῖν εἰς ἡμᾶς, οἰκία δὲ πασῶν ἀρχαιοτάτη καὶ κοινοτάτη ἀεὶ τῷ δεομένῳ.* nec iniuria hanc sibi laudem vindicavit, siquidem scriptores eum prodiderunt *Eupatridam* 4) s. Patricium fuisse et gen-

---

1) Veteri statuae sed capite truncae apud Fulvium Ursinum *ΑΝΔΟΚΙΔΗΣ ΛΕΩΓΟΡΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ* subscriptum legitur teste Fabricio Biblioth. Graec. vol. II. p. 758 Harl.

2) De Myster 141. de Red. 26.

3) §. 147. cf. 141 — 143.

4) Vid. Vit. Plutarcho tribut. p. 834 B. *γένους Εὐπατριδῶν.* ceterum facio cum Meiero (de gentil. Att. p. 37) neganti Eupatridarum aliquam singularem fuisse gentem; pertinere enim hoc nomen ad Patricios omnes: quodsi scriptores nonnunquam addunt *γένος*, haec vox latius patet nec de civili gente intelligenda est.

tem *Cerycum* nobilissimam cognatione attigisse 5). aliquanto disertiora Hellanicus praebet rerum scriptor antiquissimus 6), quo teste Suidas 7) contendit genus ducere Andocidem a Telemacho Ulixis f., ab Ulixe Plutarchus 8), a Mercurio Auctor Vitae 9) et Photius 10); nec dubito quin huc referenda sint etiam Eustathii 11) verba, qui Hellanico auctore narret a Telemacho genitum esse Perseptolim e Nausicaa.

Quodsi Taylorus Mercurium censuit fictum esse a falso Plutarcho, quem sciret mendacissimum esse, huic crimini non male respondit Ruhnkenius 12). „Propior, inquit, generis auctor Ulixes erat, remotior Mercurius. Ulixem a Mercurio per matrem originem ducere liquet ex Ovidio Metam. XIII, 146, quem locum ipse Taylorus laudavit. ac fuit opinio tam vulgaris, Ulixem ex Mercurii posteris esse, ut nummi gentis Mamiliae, quae originem suam ad Ulixem referebat, in altera parte Mercurii caput, in altera Ulixem exhibeant. vide Vaillantium de Nummis Familiarium in hac gente, quem laudat Burmannus. sed quid est, quare Pseudoplutarchus

---

5) Vid. Vit. Andoc. p. 834 C. *καθήκει εἰς αὐτὸν τὸ Κηρύκων γένος.*

6) Diserte Plutarchus l. infra l. rerum scriptorem nuncupavit. cf. Meier. de Andoc. or. c. Alcib. I. p. 13 not. 101.

7) Sub v. *Ἀνδοκίδης* p. 384 Bernh. *ἀπόγονος Τηλεμάχου τοῦ Ὀδυσσέως καὶ Ναυσικάας, ὥς φησιν Ἑλλάνικος.*

8) Vit. Alcib. 21. *Ἀνδοκίδης ὁ ῥήτωρ, ὃν Ἑλλάνικος ὁ συγγραφεὺς εἰς τους Ὀδυσσέως ἀπογόνους ἀνήγαγεν.*

9) P. 834 B. *γένους Εὐπατριδῶν, ὡς δὲ Ἑλλάνικος καὶ ἀπὸ Ἑρμοῦ.*

10) Cod. 261. p. 488 Bekk. *Ἑλλάνικος δέ φησι καὶ τοὺς πόῤῥω τῆς γενέσεως ὀχετοὺς ἥκειν εἰς αὐτὸν ἐξ Ἑρμοῦ.*

11) Ad Hom. Od. p. 1796, 41. *Ἀριστοτέλης δὲ ἐν Ἰθακησίων πολιτείᾳ καὶ Ἑλλάνικος δὲ Τηλέμαχόν φασι Ναυσικάαν γῆμαι τὴν Ἀλκινόου καὶ γεννῆσαι τὸν Περσέπτολιν.* cf. Stephan. Byz. s. v. *Περσέπολις — ὄνομα κύριον υἱοῦ Τηλεμάχου.* aut fallor aut hac occasione Cephalleniam contra Homeri usum Hellanicus Dulichium vocavit teste Strabone X. p. 699 B. Alm.

12) Histor. crit. Orat. Graec. p. 50.

Mercurium potius commemoret quam Ulixem? in promtu est ratio. clarius sic apparebat cognatio cum Cerycibus, qui a Ceryce, Mercurii filio orti credebantur.“ hanc Ruhnkenii sententiam assensu suo comprobaverunt et Sluiterus 13) et A. G. Beckerus 14), quorum ille: „Nempe mater Ulixis erat Anticlea, Autolyci filia, quod constat ex Homero Odyss. λ, 84, Autolycus autem ex Mercurii cum Chione concubitu natus esse credebatur. vid. Ovid. Metam. XI, 311 ibique Interpr. Hygin. Fab. 201“. unde factum est, ut Ulixi non Sisyphus tantum exprobraretur, qui cum matre rem habuisset, sed Autolycus quoque matris pater, velut Sophocles utrumque coniunxit in Convivio 15), ubi Aiax et Sisyphum patrem et Autolycum avum, utrumque propter versutiam et fraudes famosum, referre dicit Ulixem:

Ὦ πάντα πράσσων· ὡς ὁ Σίσυφος πολὺς
Ἔνδηλος ἐν σοὶ πάντα χὼ μητρὸς πατήρ.

sed licet ingeniosa sit haec Ruhnkenii coniectura, est tamen falsissima: neque enim perspicitur ratio, qua Andocides cum Cerycibus coniunctus fuerit et cur eius gens Mysteriis Atticis praefuerit, si ad Autolycum et eius patrem genus referebat. quid quod ille Mercurius, qui Autolycum genuit, diversus sit a Cerycis patre nec pertineat ad fabulam Cereris et Proserpinae? accedit quod hac via non intelligitur, cur Ulixis posteri gens antiquissima Attica dicatur et quomodo cum Attica cohaeserint. nam si domus Andocidea, quod Ulixem et Telemachum inter suos maiores referebat, peregrinam originem prodere censebitur 16), neque antiquissima vocan-

13) Lection. Andocid. p. 8.

14) Andokides, übersetzt und erläutert, p. 9 sq.

15) Apud Schol. ad Sophocl. Aiac. 190, ubi *πάντα χὼ* pro vulgato *πανταχοῦ* e coniectura mea scripsi, quae emendatio multis nominibus prae Schneideri mei placet invento (Dissert. de veter. in Aristoph. schol. font. Thes. 6) *Ὦ πάντα πράσσων ὡς ὁ Σίσυφος, π ο λ ὺ Ἔνδηλος ἐν σοὶ πανταχοῦ μητρὸς β α τ ή ρ.*

16) Vid. Meier. de gentil. Attica p. 44.

da erat nec causa possit excogitari, cur curam habuerit Mysteriorum, cum haec sacra Cereris et filiae non ex Ithaca in Atticam migrarint, sed aut in Attica ipsa nata aut ab Eumolpo antiquissimo tempore illata sint. multo probabilior alia ratio est, qua ipse Ulixes terrae Atticae vindicatur 17): unde simul liquebit, quomodo eius posteri Mercurium attigerint et cur sacra Cereris fecerint.

De Telemachi et Ulixis maioribus maxime memorabilis Homeri 18) locus est, ubi ipse Telemachus loquitur:

Ὧδε γὰρ ἡμετέρην γενεὴν μούνωσε Κρονίων·
Μοῦνον Λαέρτην Ἀρκείσιος υἱὸν ἔτικτεν,
Μοῦνον δ᾽ αὖτ᾽ Ὀδυσῆα πατὴρ τέκεν· αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
Μοῦνον ἔμ᾽ ἐν μεγάροισι τεκὼν λίπεν,

ubi veteres grammatici scribunt, uxorem Arcesii, quae Laërtem peperit, Chalcomedusam fuisse 19). sed quo certiora haec Homeri testimonio erant, adeo ut de his consentiant veteres, eo plures sententiae de Arcesii parentibus extant, quem alii ex Euryodia 20) ab Iove genitum prodiderunt, Mercurii filium alii 21) videntur dixisse; sunt denique qui Arcesii patrem aut Cephalum aut huius filium fecerint. et illos quidem mitto, quippe alienos a nostro consilio, sed quae de Arcesio produntur, ea accuratius expendenda sunt. Cephalum igitur Arcesii patrem Aristoteles dixit 22): *Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἰθακησίων πολιτείᾳ τὸν Κέφαλον, οἰκοῦντα ἐν ταῖς ἀπ᾽ αὐτοῦ κληθείσαις Κεφαλληνίαις νήσοις, ἄπαιδα ἐπὶ πολὺ ὄντα, ἐρό-*

17) Non negligendum est ab Homero quoque Ulixem collocari iuxta Menestheum Atheniensem Iliad. δ, 329, ubi schol. 330. *Πὰρ δέ· ἴσως ἐπεὶ Κέφαλος ὁ Δηΐονος Ἀθηναῖος ὢν ᾤκισε τὴν Κεφαλληνίαν συνετάγησαν αὐτῷ.*

18) Odyss. π, 117 sqq.

19) Schol. ad Hom. l. l. et Eustath. p. 1796, 33.

20) Ibid. *Ἀρκείσιος Εὐρυοδίας καὶ Διός.* Ovid. Metam. XIII. 144. „Nam mihi Laërtes pater est, Arcesius illi, Iupiter huic".

21) Vid. Meziriac. ad Ovid. Heroid. vol. I. p. 12.

22) Apud Etymol. M. s. voc. *Κεφαλληνία.*

μενον τὸν θεὸν κελευσθῆναι, ᾧ ἂν ἐντύχῃ θήλει, συγγενέσθαι· παραγενόμενον δὲ εἰς τὴν πατρίδα καὶ δὲ ἐντυχόντα ἄρκτῳ κατὰ χρησμὸν συγγενέσθαι· τὴν δὲ ἐγκύμονα γενομένην μεταβαλεῖν εἰς γυναῖκα καὶ τεκεῖν Ἀρκείσιον, ἀπὸ ἄρκτου, hinc Eustathius 23): Φασὶ γὰρ Κέφαλον τὸν Δηϊονέως ἢ Δηΐονος ἐξ ἄρκτου γυναικὸς τεκεῖν τὸν Ἀρκέσιον. alii vero Arcesii avum dixerunt Cephalum, ita tamen ut de nomine eius, qui Arcesium genuerit, dubitari possit. Eustathius 24): Κέφαλος, οὗ οἱ Κεφαλλῆνες παρώνυμοι, πρόγονος ἦν Ὀδυσσέως· Κεφάλου γὰρ Κηλεύς, οὗ Ἀρκέσιος, οὗ Λαέρτης, οὗ Ὀδυσσεύς, scholiasta Homeri 25): Κέφαλος ὁ Δηΐονος· — — ἐκ τούτου Κιλλεύς, οὗ Ἀρκέσιος, οὗ Λαέρτης, et alibi 26) de Ulixe: ἔστι δὲ Λαέρτου τοῦ Ἀρκεισίου τοῦ Κιλέως τοῦ Κεφάλου, neque vero Κελεός, nomen nobilissimum, latet in voce corrupta, sed Παλεύς aut Πηλεύς, ut e Strabone 27) liquet, qui Cephalleniam insulam a Cephalo denominatam esse tradat, urbes eius vero a Cephali filiis. quibus de urbibus gravissimus Thucydidis 28) locus est: Κεῖται δὲ ἡ Κεφαλληνία κατὰ Ἀκαρνανίαν καὶ Λευκάδα, τετράπολις οὖσα, Παλῆς, Κράνιοι, Σαμαῖοι, Πρόναοι, et rursus 29) idem scriptor Παλῆς Κεφαλλήνων commemoravit, ubi scholiasta: Παλῆς ὡς Μεγαρῆς· πόλις δὲ Πάλη τῆς Κεφαλληνίας· τετράπολις γάρ ἐστιν ἡ Κεφαλληνία Πάλη, Κράναια, Σάμαια, Πρώναια. quodsi quatuor haec loca a Cephali filiis nuncupata sunt, sola illa Πάλη aliquid similitudinis habet cum voce corrupta, nec

---

23) Ad Hom. Odyss. p. 1961, 19. etiam Hyginus Fab. 189 Arcesium Cephali filium e Procride dixit, de quo loco infra disputavi.

24) Ad Hom. Iliad. p. 307 pr.

25) Ad Iliad. β, 631.

26) Ad Iliad. β, 173.

27) X. p. 699 B.

28) II, 30.

29) I, 27. cf. Pausan. VI, 15, 7. Παλέων sive Παλείων mentio fit in inscriptionibus Corp. Inscr. Graec. n. 340. 1929.

dubito, quin Cephali filius, qui Arcesii pater habitus est, vocatus sit Παλεύς vel Πηλεύς. addatur Stephanus Byzantius 30), qui ipsa nomina heroum attulit: Πρόνησος, Σάμος, Πηλεύς, Κράνιος. superest alia ratio. a Diodoro 31) narratur Iaso Peliades viris collocasse, Alcestin Admeto, Andraemoni Amphinomen, Εὐάδνην δὲ Κάνῃ (alii Κενεῖ et similia), τῷ Κεφάλου, Φυλακέων τότε βασιλεύοντι. Phylacus frater erat Deionis, Apollodoro teste 32), qui Phylacen condiderat. quid igitur aliud credemus nisi confusum esse Peleum Aeaci f. cum Cephallenio aut habitum esse eundem? dicitur vero Peleus a Pausania 33) in Peliae ludis funebribus certasse.

Patet igitur ad Cephalum Atticum, sive ipse genuit Arcesium sive Paleus filius, Ulixis genus revocatum esse; qui Cephalus a plerisque omnibus Deionis sive Deionei filius proditur. habitasse vero dicitur Cephalus Thorici vel Thoris, qui sunt pagi Attici. Apollodorus 34) de Amphitruone loquens: Ἔχων ἐκ μὲν Θορίκου τῆς Ἀττικῆς Κέφαλον συμμαχοῦντα, Antoninus Liberalis 35): Κέφαλος ὁ Δηΐονος ἔγημεν ἐν Θορίκῳ τῆς Ἀττικῆς Πρόκριν τὴν θυγατέρα τὴν Ἐρεχθέως, et paullo post: ἡ Πρόκρις ἀφίκετο εἰς Θόρικον τῆς Ἀττικῆς, ὅπου ᾤκει ὁ Κέφαλος, postremo Pherecydes 36): ἐν τῇ Θοριέων κατῴκει. unde probabile est apud Scholiastam Homeri 37) scribendum esse: Κέφαλος ὁ Δηΐονος φεύγων ἐκ Θορίκου διὰ τὸν τῆς γυναικὸς ἀκούσιον φόνον, ᾤκει ἐν Θήβαις, pro vulgata ἐκ Προκρίδος διὰ τὸν τῆς γ. ἀ. φ. hoc Cephali domicilium locum obscurum Vitae Andocideae 38) explicare videtur: Ἀνδοκίδης — τὸν δῆμον δὲ Κυδαθηναιεὺς ἢ Θορεύς vel Κυδαθή-

30) De Urb. s. voc. Κράνιοι.
31) IV, 53.
32) Bibl. I, 9, 4.
33) V, 17, 10.
34) Bibl. II, 4, 7.
35) Transform. 41.
36) Ap. schol. Hom. Odyss. λ, 321.
37) Ad Iliad. β, 631.
38) P. 834 B.

ναιος καὶ Θουρεύς 39), ut olim legebatur. censeo enim Thoras vel Thoricum Cereris et Proserpinae religionibus floruisse, et Cephalum quem contendo inter maiores Andocidis fuisse, cum hoc oppido cohaesisse. nam oratorem Andocidem et huius avum cognominem Cydathenienses fuisse, satis hodie constat ex inscriptione antiqua et ex Atthide Androtionis. videntur igitur, qui maiores oratoris putabantur, Thorenses aut Thoricii fuisse, et hoc confuderit scriptor Vitae, nisi etiam posteri Cephali aliquatenus ad Thoras aut Thoricum pertinebant. maxime vero fallitur Bergkius 40) de Periclis adversus Samios collegis agens: „Andocides vero Cydatheniensis nobilis ille orator est, quem et ipsum puto Thuriorum coloniae participem fuisse; Pericles enim hunc, ut alios nobiles Athenienses videtur commovisse, ut illuc abiret. hinc Plutarchus in Vita Andocidis: τὸν δὲ δῆμον Κυδαθηναιεὺς ἢ Θούριος, γένους Εὐπατριδῶν, quod citra necessitatem homines docti in Θορεὺς mutaverunt. Thuriis autem reversus propter nobilitatem generis in bello Samio factus est praetor.“ nam ut reliqua taceam, neque orator Andocides ante bellum Samium abire potuit Thurios, qui vix natus esset, nec avus qui in bello Samio praetor erat a quoquam traditur Thurios abisse.

Fabulae vero antiquae, quae ad Cephalum spectant, ita sunt comparatae, ut cum Cereris et filiae sacris videantur coniunctae fuisse. nam praeter patris nomen Δηΐων vel Δηϊών, quod cognatum est Cereri quae Δηώ vocabatur 41), aptissimum est huic consilio, quod credebatur Procris Erechthei filia Cephalo nupsisse, qui Erechtheus cum filiabus prae ceteris mysteriis implicitus est. deinde quae de Cephalo ab Aurora amato, de Procridis fuga ad Minoëm, de cane Procridis et iaculo, denique

---

39) Huc non pertinet Thurium Boeotiae ad Chaeroneam situm, cuius Plutarchus mentionem fecit Vit. Sull. 17.

40) De Comoed. Att. p. 56 not.

41) De hoc nomine vid. schol. Iliad. ι, 685.

de morte eius narrantur 42), mystica sunt omnia. a plerisque vero perhibetur Cephalus Procride interfecta Thebis habitasse ab Areopago damnatus, et videtur ibi Clymenen Minyae filiam duxisse, e qua genuit Iphiclum 43), qui rursus mythorum involucris impeditus est et obscuro modo cum Melampode copulatur 44). posthac cum Amphitruo adversus Teumessiam vulpem cane indigeret, quem a Diana aut Minoë acceptum marito donaverat Procris aut quem ab Aurora ipse Cephalus retulerat, ea conditione contra vulpem profectus est Cephalus, ut victis Telebois ipse praedae partem acciperet, quos bello petebat Amphitruo. hoc modo Cephalleniis insulis potitus dicitur Cephalus 45), et genuisse Arcesium aut cum fratribus Paleum, qui ab aliis Arcesii pater vocabatur: quodsi fuerunt, qui Arcesium e Procride in Cephallenia natum proderent 46), hi id unum videntur spectasse, ut reges Ithacenses non solum a Cephalo Attico sed ab ipso etiam Erechtheo ducerent originem. mitto, amatum esse Parolam a Cephalo 47), sed id non negligendum est, per hunc Cephalum Ulixi patere aditum ad Mercurium. opportune Apollodorus 48): *Ἕρσης δὲ καὶ Ἑρμοῦ Κέφαλος, οὗ ἐρασθεῖσα Ἠὼς ἥρπασε· καὶ μιγεῖσα ἐν Συρίᾳ παῖδα*

---

42) De rebus Procridis et Cephali vid. schol. Hom. Odyss. λ, 321. et Eustath. p. 1688, 20. Antonin. Lib. Transf. 41. Apollod. Bibl. I, 9, 4. II, 4, 7. III, 14, 3. 15, 1. Ovid. Art. am. III, 687 sqq. Met. VII, 694 sqq. schol. Euripid. Orest. 1653. Hippol. 455 Matth. Palaephat. II, 4. Pausan. I, 3, 1. III, 18, 12. X, 29, 6. I, 37. 6. IX, 19, 1. alii.

43) Pausan. X, 29, 6. alii aliter statuerunt.

44) Interpr. vet. ad Hom. Odyss. λ, 287 sqq.

45) Strabo X. p. 699 A B. 704 B. 708 A. Apollod. Bibl. II, 4, 7. schol. ad Hom. Iliad. δ, 330. Eustath. ad Iliad. p. 307, 4. 308, 13. ad Odyss. p. 1396, 6. 12. Pausan. I, 37, 6. cet.

46) Sic Hyginus fab. 189, nisi quod vulgata *Archius* praebet, pro quo *Arcesium* merito commendavit Meziriac. ad Ovid. Heroid. vol. I. p. 13.

47) Strabo X. p. 694 A. 708 A.

48) Bibl. III, 14, 3.

ἐγέννησε Τιθωνόν, οὗ παῖς ἐγένετο Φαέθων κτλ. nec erat quod Heynius 49) contenderet diversum esse Mercurii et Herses filium a Cephalo Deionis f. nam ut taceam, etiam Deionis filium raptum tradi 50), aperte Ovidius 51) Procridis maritum Mercurii filium statuit:

Ecce redit silvis Cephalus, Cyllenia proles,

atque Homeri scholiasta 52) de Ulixe: Ἔστι δὲ Λαέρτου τοῦ Ἀρκεισίου τοῦ Κιλέως τοῦ Κεφάλου τοῦ Ἑρμοῦ, et Eustathius 53) de eodem: ὁ Διογενὴς ὁ ἀπὸ Λαέρτου, ὃς ἐξ Ἑρμοῦ ἕλκει τὸ γένος, quanquam hoc quidem loco ὃς ad Ulixem referri potest et eius cum Mercurio per Anticleam affinitatem: sed alterum probabilius est: nec aliter Hyginus 54). quodsi falsus Plutarchus 55) de Andocidis genere scripsit: Καὶ ἀπὸ Ἑρμοῦ. καθήκει γὰρ εἰς αὐτὸν τὸ Κηρύκων γένος, significare videtur etiam Cerycem inter maiores Andocidis fuisse. sed qua ratione hoc effectum sit, non possum monstrare; nam e Cerycum narratione Mercurii et Aglauri filius erat Ceryx teste Pausania 56) et e Pandroso genitum a Mercurio statuit Ptolemaeus 57). sed multa hodie obscura sunt, quorum idoneam rationem olim reddiderunt sacerdotes Attici, et verissime videtur Böckhius 58) monuisse: „Civitates Graecae paullo antiquiores, antequam praevaluisset reipublicae per locos divisio, stirpibus (φυλαῖς) comprehensas habuerunt gentes (γένη): quae sacrorum continebantur communione, et patronymico ut plurimum nomine usae ad unum aliquem referebantur gentis auctorem, heroëm potissimum vel deorum et heroum familiarem, a quo il-

49) Ad Apollodor. p. 145 et 821 ed. pr.
50) Antonin. Liber. Transform. 41.
51) Art. am. III, 725.
52) Ad Iliad. β, 173.
53) Ad Iliad. p. 197, 22.
54) Fab. 241.
55) Vit. Andoc. p. 834 C.
56) I, 38, 3.
57) Apud schol. ad Iliad. α, 334. Eustath. p. 110, 15.
58) In Ind. Lect. aest. 1834. p. 10.

lud nomen derivatum esse fabulabantur. — — *quanquam probe notum est, non universos gentiles* (*γεννήτας*) *esse etiam cognatos* (*συγγενεῖς*): simul contexuerunt stemmata, quarum ope *certe potiores gentilium* demonstrarent, ab illo sese auctore repetere originem".

Addo etiam e Lysiae oratione 59) liquere, Mercurium Andocidi *πατρῷον* fuisse: *Ἀνδοκίδης δὲ τοσοῦτον καταπεφρόνηκε τῶν θεῶν καὶ ὧν ἐκείνοις δεῖ τιμωρεῖν, ὥςτε πρὶν μᾶλλον ἢ ἧττον ἢ ἐπιδεδημηκέναι δέκα ἡμέρας ἐν τῇ πόλει προςεκαλέσατο δίκην ἀσεβείας πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ ἔλαχεν Ἀνδοκίδης καὶ πεποιηκὼς ἃ οὗτος πεποίηκε περὶ τοὺς θεούς, καὶ ἵνα μᾶλλον πρόςχητε τὸν νοῦν φάσκων τὸν Ἀρίστιππον ἀσεβεῖν περὶ τὸν Ἑρμῆν τὸν αὐτοῦ πατρῷον· ὁ δὲ Ἄρχιππος ἠντιδίκει ἦ μὴν τὸν Ἑρμῆν ὑγιᾶ τε καὶ ὅλον εἶναι, καὶ μηδὲν παθεῖν ὧνπερ οἱ ἄλλοι Ἑρμαῖ. ὅμως μέντοι ἵνα μὴ ὑπὸ τούτου τοιούτου ὄντος πράγματ' ἔχοι δοὺς ἀργύριον ἀπηλλάγη.* mitto Sluiterum 60), quem sequitur Beckerus 61): non se passus est decipi summus vir Lobeckius 62), qui ita castigavit Sluiterum: „Verum *θεοὶ πατρῷοι* praeter illos, quorum sacra aliquis in suis praediis colebat a maioribus accepta, sine dubio etiam nominati sunt eiusdem phylae et phratriae dii et qui ab aliis quidem sed in proximo consecrati propter ipsam viciniam sollenni familiae ministerio colebantur pariter domesticis. de Pindaro narrat Thomas Magister (in Vita p. 155) *κατῴκει τὰς Θήβας πλησίον τοῦ ἱεροῦ τῆς Ῥέας τὴν οἰκίαν· ἐτίμα δὲ τὴν θεὸν σφόδρα.* quam religionem si posteri eius retinuerunt, non dubito, quin deam illam sibi *πατρῴαν* dicere potuerint, similiter ut Andocides Mercurium, quem ipse *παρὰ τὴν πατρῴαν οἰκίαν* collocatum esse testatur de Mysteriis 62". atque id quidem facile largimur viro sagacissimo, potuis-

---

59) In Andoc. 11 sq.
60) Lect. Andoc. p. 170.
61) Andokid. übers. u. erläut. p. 27 not. 85.
62) Aglaopham. p. 1334.

se Hermam illum tali sensu *πατρῷον* dici et ita cepisse Lysiam Andocidis actionem; ipse vero Andocides, opinor, longe aliud spectavit. nam si Mercurii statua, quo tempore Aristippum accusavit Andocides, integra erat, nec reum acturus erat Aristippum ob Hermam violatum, cui verendum esset ne rursus infamis fieret, nec Aristippus, si tam facile actorem refutare potuisset, huic pecuniam solvisset. credendus igitur est Aristippus non in statuam dei deliquisse, sed ipsum Mercurium, qui *πατρῷος* erat Andocidi, quod genus duceret ab eo, contumeliis sive alia iniuria violasse. Lysias vero quo Aristippum excusaret apud ignaros et Andocidem induceret in invidiam, ambiguitatem cavillans ita interpretatus est, quasi reus esset Aristippus mutilati *Hermae* Andocidei.

Superest ut ostendam, quomodo Cephali posteros rursus in Atticam reduxerint veteres. nam ut Ulixem eo fecerunt Atticum, quod proavum eius Cephalum ex Attica profectum esse contenderunt, ita putandi sunt Andocidis gentiles rationem invenisse, qua ipsi redierint in patriam. eam praebet Pausanias 63): *Κέφαλον τὸν Δηΐονος συνεξελόντα λέγουσιν Ἀμφιτρύωνι Τηλεβόας τὴν νῆσον οἰκῆσαι πρῶτον, ἣ νῦν ἀπ' ἐκείνου Κεφαλληνία καλεῖται· μετοικεῖν δὲ αὐτὸν τέως ἐν Θήβαις φεύγοντα ἐξ Ἀθηνῶν διὰ τὸν Πρόκριδος τῆς γυναικὸς φόνον. δεκάτῃ δ' ὕστερον γενεᾷ Χαλκῖνος καὶ Δαῖτος ἀπόγονοι Κεφάλου πλεύσαντες εἰς Δελφοὺς ᾔτουν τὸν θεὸν κάθοδον ἐς Ἀθήνας· ὁ δέ σφισι κελεύει θῦσαι πρῶτον Ἀπόλλωνι ἐνταῦθα τῆς Ἀττικῆς, ἔνθα ἂν ἴδωσιν ἐπὶ τῆς γῆς τριήρη θέουσαν. γενομένοις δ' αὐτοῖς κατὰ τὸ ποικίλον καλούμενον ὄρος δράκων ἐφάνη σπουδῇ κατὰ τὸν φωλεὸν ἰών· καὶ Ἀπόλλωνί τε θύουσιν ἐν τῷ χωρίῳ τούτῳ, καὶ ὕστερον σφᾶς ἐλθόντας ἐς τὴν πόλιν ἀστοὺς ἐποιήσαντο Ἀθηναῖοι.* quodsi haec res, ut probabile est, ad gentem oratoris Andocidis spectat, fabulosam eius originem habes hanc: *Mercurius, Cephalus,* [*Paleus,*] *Arcesius, Laërtes, Uli-*

---

63) I, 37, 6 sq.

xes, *Telemachus*, *Perseptolis* (post hunc sequuntur duo aut tres, nobis incogniti), *Chalcinus* cum Daeto, nisi de *Daetro* 64) cogitandum est, quorum ab altero ortus credebatur Andocides orator.

Fabulis expositis ad historiam venimus. si libri fidem merentur de *abavo* suo *Leogora* haec scripserit Andocides 65): *Τάδε γὰρ οὐ ψευσαμένῳ μοι λαθεῖν οἷόν τ᾽ ἐστὶ τούς γε πρεσβυτέρους ὑμῶν, ὅτι ὁ τοῦ ἐμοῦ πατρὸς πρόπαππος Λεωγόρας στασιάσας πρὸς τοὺς τυράννους ὑπὲρ τοῦ δήμου, ἐξὸν αὐτῷ διαλλαχθέντι καὶ γενομένῳ κηδεστῇ ἄρξαι μετ᾽ ἐκείνων τῶν ἀνδρῶν τῆς πόλεως, εἵλετο μᾶλλον ἐκπεσεῖν μετὰ τοῦ δήμου καὶ φεύγων κακοπαθεῖν μᾶλλον ἢ προδότης αὐτῶν καταστῆναι.* sed haec suspecta fiunt altero eiusdem oratoris loco 66): *Οἱ πατέρες οἱ ὑμέτεροι γενομένων τῇ πόλει κακῶν μεγάλων, ὅτε οἱ τύραννοι μὲν εἶχον τὴν πόλιν, ὁ δὲ δῆμος ἔφυγε, νικήσαντες μαχόμενοι τοὺς τυράννους ἐπὶ Παλληνίῳ* 67), *στρατηγοῦντος Λεωγόρου τοῦ προπάππου τοῦ ἐμοῦ καὶ Χαρίου οὗ ἐκεῖνος τὴν θυγατέρα εἶχεν, ἐξ ἧς ὁ ἡμέτερος ἦν πάππος, κατελθόντες εἰς τὴν πατρίδα τοὺς μὲν ἀπέκτειναν, τῶν δὲ φυγὴν κατέγνωσαν, τοὺς δὲ μένειν ἐν τῇ πόλει ἐάσαντες ἠτίμωσαν. ὕστερον δέ, ἡνίκα βασιλεὺς ἐπεστράτευσεν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα κτλ.* vides hic *proavum* oratoris tyrannis adversantem produci, itidem *Leogoram*: itaque viri docti ad unum omnes, alii alia tentantes 68), in priore lo-

---

64) Vid. Meier. de gentil. Att. p. 43.

65) De Redit. 26.

66) De Myster. 106.

67) Merito vindicavit hanc formam a criticorum iniuriis Meierus de Andocid. orat. c. Alcib. III. p. 6 not. 15.

68) Valckenarii, Reiskii, Sluiteri coniecturas iure repudiavit Meier. l. l. p. 6, dubitari tamen potest, an negligentius dixerit scriptor priore loco. vere Phaeax (vel quisquis scripsit orationem de ostracismo) c. Alcib. 34 de celebri Alcibiade: *καὶ γὰρ ὁ τῆς μητρὸς πατὴρ Μεγακλῆς καὶ ὁ πάππος Ἀλκιβιάδης ἐξωστρακίσθησαν ἀμφότεροι*, sed apud Isocratem de Big. 26 minor Alcibiades celebris filius dixit: *Ἀλκιβιάδης καὶ Κλεισθένης*,

co abavo proavum substituerunt aut proavum intellexerunt; excepto praestantissimo Meiero 69), qui acute vidit, stare utrumque posse, si priorem Leogoram cum Pisistrato, alterum cum Pisistratidis dixeris pugnasse. sed prae ceteris videndum est, quae fuerit pugna ad Pallenium commissa: neque enim de illo proelio cogitandum est, quod cum Pisistrato factum est Olymp. LVIII, 4 extr. ex mea computatione 70) (constat enim tum victorem fuisse Pisistratum, cum orator dicat expulsos esse tyrannos), neque contenderim pugnam ad Lipsydrium commissam significari. pugna enim ad Lipsydrium, si fides est veteribus, et diu ante liberam rempublicam facta est et tantum abest, ut quidquam damni attulerit tyrannis, ut opes Alcmaeonidarum maxime fregerit. prius enim ex Herodoto 71) liquet, qui scribat Alcmaeonidas ad Lipsydrium victos templum Delphicum aedificasse, quod templum combustum est Olymp. LVIII, 1. 72) et cuius restituendi causa Delphi vivo Amaside Aegyptiorum rege, qui obiit Olymp. LXIII, 3. 73), stipem coëgerunt 74). itaque multo facilius crediderim, vivo Pisi-

---

ὁ μὲν πρὸς πατρὸς ὁ δὲ πρὸς μητρὸς ὢν πρόπαππος τοῦ πατρὸς τοὐμοῦ, et simili negligentia Lysias in Alcib. I, 39 de minore Alcibiade: Ἀλκιβιάδην μὲν τὸν πρόπαππον αὐτοῦ καὶ τὸν μητρὸς Μεγακλέα, ubi Alcibiades quidem rei proavus est, sed Megacles non matris sed rei proavus. igitur haud scio, an ὁ πατρὸς πρόπαππος nonnunquam dicatur pro ὁ πρὸς πατρὸς πρόπαππος. quodsi Meierus l. l. V, 10. p. 91 apud Lysiam πρὸς μητρὸς scripsit, ne sic quidem recte locutus est Lysias. Harpocratio, quo nititur emendatio, habet Ἀλκιβιάδης ὁ Κλεινίου· ἦν δὲ καὶ ἕτερος πρόπαππος τοῦ εἰρημένου (scilicet αὐτοῦ ap. Lysiam l. l. ad celebrem Alcibiadem retulit falso: hinc illae turbae), ὅν φησι Λυσίας αὐτόν τε καὶ τὸν πρὸς μητρὸς πάππον δὶς ἐξοστρακισθῆναι.

69) L. l. III. p. 6 sq.

70) Exponam in Ersch. et Gruber. Encyclop. s. v. Peisistratos.

71) V, 62, 2.

72) Pausan. X, 5, 13.

73) Clinton. Fast. Hell. ad ann. 525.

74) Herodot. II, 180.

strato et cum ipso Pisistrato ad Lipsydrium conflictatum esse, quam factam esse pugnam post Amasidis mortem. nam quominus Olymp. LXVII, 2 extr. assignes, quo anno expulsus est Hippias, vel *clades* Alcmaeonidarum obstat scoliis antiquis nobilitata et a scriptoribus narrata 75). igitur me iudice sic statuendum est. templo Delphico ab Alcmaeonidis splendide extructo, Amphictyones et Pythia Spartanos iusserunt tyrannis Atticis bellum inferre et liberare Athenas. miserunt Anchimolium Asteris f., quem tamen Pisistratidae a M. Thessalorum equitibus adiuti in agro Phalerensi cum reliquis Spartanis plerisque omnibus ceciderunt. qua clade nuntiata, Cleomenem cum maioribus copiis iusserunt proficisci; qui cum ab Isthmo veniens in ipsis confiniis terrae Atticae ita Thessalos tractasset, ut protinus in Thessaliam refugerent, Athenas cum tyrannorum adversariis perrexit et Hippiam in Pelasgico castello obsedit, donec pactus cum Spartanis et Alcmaeonidis Attica excederet. sic Herodotus 76) narravit, qui tamen non commemoravit nisi Thessalorum et Spartanorum proelium: conflixisse vero etiam Hippiae satellites et copias cum Spartanis et Alcmaeonidis ex venustissimo Aristophanis 77) loco liquet:

Οὐκ ἴσθ᾽, ὅθ᾽ ὑμᾶς οἱ Λάκωνες αὖθις αὖ
Κατωνάκας φοροῦντας ἐλθόντες δορὶ
Πολλοὺς μὲν ἄνδρας Θετταλῶν ἀπώλεσαν,
Πολλοὺς δ᾽ ἑταίρους Ἱππίου καὶ ξυμμάχους,
Ξυνεκμαχοῦντες τῇ τόθ᾽ ἡμέρᾳ μόνοι,
Κἀλευθέρωσαν; κἀντὶ τῆς κατωνάκης
Τὸν δῆμον ὑμῶν χλαῖναν ἠμπισχον πάλιν;

et ipse Herodotus 78), quanquam iusto brevior est, significavit tamen, etiam reliquos manus conseruisse: quodsi scripsit *ἡ τῶν Θετταλῶν ἵππος πρώτη συνέμιξεν*, per se liquet *δευτέρους* et *τρίτους* alios pugnasse.

---

75) Vid. quae Meier. attulit l. l. III. p. 6 not. 14.
76) V, 63 sqq.
77) Lysistr. 1150 sqq.
78) V, 64, 2.

Hoc proelium, quo superati sunt Pisistratidae Olymp. LXVII, 2 extr. et eiecti, Pallenio, ut vidimus, assignavit Andocides: neque vero iniecta Pallenii memoria probat illud agi certamen, quod cum *Pisistrato ipso* post secundum exilium reditum moliente consertum est (nam illo tempore victos esse *Alcmaeonidas* notissimum est, cum tamen Andocides superatos dixerit ad Pallenium *Pisistratidas* esse et fundatam libertatem Atticam), sed id unum merito videtur colligi posse e verbis oratoris, quo loco olim amissa erat libertas *eodem loco* post annum XXXIV. excisam esse tyrannidem. etenim quidni hunc locum Pisistratidae elegerunt boni ominis causa, Alcmaeonidae vero ut locum clade sua famosum insignem redderent victoria et ipsa loci infamia suorum animos incitarent? itaque nobis quidem satis dubium esse videtur, utrum ad victoriam Pisistrati an ad Hippiae cladem spectaverint Aristoteles in Rep. Atheniensi et Androtio in Atthide, quos scimus Pallenii mentionem fecisse teste scholiasta Aristophanis 79), licet grammaticus retulerit ad Pisistratum ipsum. nec dixerim rerum imperitiorem, ut alibi, fuisse Andocidem: nam res cum per se Atheniensibus debuit notissima esse, tum Andocidem vix potuit latere, cuius proavus in illa pugna excelleret: nec adversantur reliqui scriptores Andocidis testimonio; Lipsydrio enim remoto plane ignoramus, quo loco Cleomenes cum Thessalis pugnaverit et ubi Alcmaeonidis iunctus Hippiae copias fugaverit, nisi Andocidi fidem habemus, factum hoc esse ad Pallenium. quodsi Aristophanes 80) non sine laude commemorare videtur Lipsydrium, eo tamen haud efficias mentita esse scolia antiqua et falsos scriptores, qui pugnatum esse eo loco aliquot annis ante tyrannos expulsos affirment et prorsus victos Alcmaeonidas esse. nec verba Aristophanis flagitant, ut reliquis fidem denegemus: nam si fecit senum chorum dicentem:

---

79) Ad Acharn. 234 (233).

80) Lysistr. 665 sqq.

Ἀλλ' ἄγετε, λυκόποδες, οἵπερ ἐπὶ Λειψύδριον ἤλθομεν,
ὅτ' ἦμεν ἔτι,
Νῦν δεῖ νῦν ἀνηβῆσαι πάλιν κἀναπτερῶσαι
Πᾶν τὸ σῶμα κἀποσείσασθαι γῆρας τόδε,

nihil aliud spectavit poëta nisi capulares esse hos senes, qui iam eo tempore stipendia mererent, quo Alcmaeonidae Lipsydrium muniverunt: neutiquam vero his verbis probavit, feliciter rem gestam esse ab Alcmaeonidis.

Evicisse nobis videmur, illam pugnam, qua Pisistratidae Attica exciderunt, ad Pallenium commissam esse. superest ut de Leogora et Charia loquar praetoribus, quos non novit historia. et sane non dubitari potest, quin Clisthenes, Megaclis f., potissimum tyrannos eiecerit 81): saepe vero accidit, ut oratores studio merita et honores suorum auxerint, et supra veritatem extulerint. hanc ob causam me iudice auctor de ostracismo 82), qui non est Andocides, Hipponicum in certamine ad Delium conserto praetorem finxit, cum summum imperium apud Hippocratem Ariphronis f. fuisse sciamus: videtur enim Phaeax Calliae Hipponici f. gratificatus esse; et rursus Alcibiades Isocrateus 83) Alcibiadis antiqui laudibus cumulum addidit, quippe proavi sui, quem contenderit praetorem cum Clisthene Athenas liberasse: sed quis nosset Hipponicum ad Delium praefuisse copiis Atticis nisi proderet Phaeax, quis liberatae Urbis laudem tribueret Alcibiadi isti, nisi pronepos testaretur, denique quis Dicaeogenem Eleusine praetorem fuisse et contra Cleomenem Spartanorum regem cecidisse comperisset, nisi rursus pronepos eius affirmaret 84)? neque vero ob haec testimonia Hipponicus, Alcibiades, Dicaeogenes credendi sunt illis locis praetores fuisse, sed vi-

---

81) Vid. Herodot. V, 66. 2. Isocrates de Permut. 232 cf. 306. de Big. 26. schol. Aristid. p. 118 Dind. cet.

82) In Alcib. 13. aliter statuit doctissimus vir Meier. l. l. V, 7. p. 44 sq.

83) De Big. 26.

84) Apud Isaeum de Dicaeogen. her. 42.

dentur pleraque studio dicta esse, ut monui: id unum merito collegeris interfuisse viros illos his proeliis nec in infimo loco positos esse. itaque licet de hac praetura Leogorae et Chariae nihil constet, dubitari saltem non potest, quin adiuverint Alcmaeonidas, et credibile est eos exercitus parti praefuisse, si nobilitatem et divitias Leogorae spectaveris. nec Chariae nomen in dubitationem vocandum est 85), etiamsi non notus sit Charias illius temporis. nam ipsum nomen quod attinet, iam olim firmabatur inscriptionibus antiquis 86), et nuper titulis Piraeensibus 87) munitur. itaque ne Isagoram quidem Tisandri filium, quem olim repositurus eram, commendaverim, praesertim cum alienus videatur multas ob causas.

Sed redeo ad utrumque Andocidis locum. et id quidem apertissimum est, de diversis temporibus loqui oratorem. nam in oratione de mysteriis habita victoriam Alcmaeonidarum commemoravit et de iis verba fecit, quae secuta sunt expulsos tyrannos tempora. at longe

---

85) Mitto Stephani Chabriam et Sluiteri Calliam: acute Meierus l. l. III. p. 7 Charmum substituere voluit, qui a veteribus vocatur polemarchus. sed si idem puer a Pisistrato amatus est et vir Hippiae amore flagravit, qui Hippias posthac Charmi filiam duxerit, ut statuit vir praestantissimus, sane haud credibile est eundem cum Leogora stetisse contra Hippiam. Hippiam enim dicere malui quam Pisistratum, quem Meierus scripsit, siquidem demonstravi, agere Andocidem de expulsis Pisistratidis, et quia cogitari saltem potest, repudiata filia Charmum tyrannum odio habuisse. nam eum Charmum, qui fuisset deliciae Pisistrati, qui iuvenem Hippiam amasset Olymp. LVI, 2, contra Pisistratum stetisse post undecimum annum Olymp. LVIII, 4 vix et ne vix quidem crediderim.

86) Vid. Corp. Inscr. Graec. n. 74, 7 (Olymp. LXXXVI, 4). 150, a, 3. 8 (Olymp. XCV). 171, I, 23. 172, III, 10. 199, II, 30. 678, 1.

87) Vid. Böckhii librum, qui nunc maxime imprimitur „Die Peiraceus-Inschriften, einleitende Abhandl." cap. XV sub v. *Ἱέρων Χαρίου Παλληνεύς*, *Χαρίας Εὐθυκράτους Κυδαθηναιεύς* et *Εὐθυκράτης Χαρίου Κυδαθηναιεύς*.

aliter de reditu oravit: omnia enim quae dixit de abavo Leogora, illam aetatem spectant, qua Pisistratus et filii eius habuerunt Urbem; nec fecit mentionem restitutae libertatis. num igitur cum viro excellentissimo hunc locum ad Leogoram abavum Andocidis referemus, alterum ad Leogoram proavum eiusdem? haud faciam, si e meo iudicio res pependerit: nam quanquam facile largior, posse et proavum et abavum oratoris Leogoram fuisse, tamen cum reditum quaereret Andocides, videtur mihi etiam de proavo verba facturus fuisse, si eo duce tyranni eiecti essent. unde colligo eundem Leogoram utroque loco nobilitatum esse, licet altero loco pronepos solas aerumnas et calamitates commemoraverit, quas perpessus est Leogoras ante reditum in exilio, altero vero maxime studium restituendae libertatis illustraverit. accedit aliud: orationem de mysteriis constat habitam esse Olymp. XCV, 1, ut infra ostendam; in hac victos dicit tyrannos et imperium populare fundatum a patribus iudicum (*οἱ πατέρες οἱ ὑμέτεροι*), et possunt sane inter iudices fuisse, quorum patres tyrannos vicerint. nam quominus *οἱ πατέρες* ex usu scriptorum dictum putes pro *οἱ πρόγονοι*, alterius orationis obstat locus difficillimus; dicuntur enim *ipsorum iudicum provectiores* meminisse ea quae ante Pisistratidas sublatos gesta sunt (*τάδε γὰρ οὐ ψευσαμένῳ μοι λαθεῖν οἷόν τ' ἐστὶ τούς γε πρεσβυτέρους ὑμῶν*). at habita est oratio de reditu non ante Olymp. XCII, 2, fortasse etiam serius 88): sunt vero ex hoc tempore ad Pisistratidas integri anni C; quodsi inter iudices fuerunt, qui cum Leogora in exilio egerunt, hi credendi essent, cum haberetur oratio, supra CXX annos nati. quod quam incredibile sit, nemo non videt; at quanto esset incredibilius, si spectari diceremus Pisistrati victoriam Olymp. LVIII, 4 extr. reportatam! fingere scio Aristophanem

---

88) Athenis Olymp. XCII, 2 pr. ad Euagoram Cypri regem Andocides profectus est, unde revertit Athenas et reditum quaesivit (Lys. in Andoc. 28): sed non constat, quamdiu manserit Andocides apud Euagoram.

in Lysistrata 89), Olymp. XCII, 1. docta, superesse senes qui non solum Cleomenem in arce oppugnaverint (circa Olymp. LXIX.), sed etiam Lipsydrium muniverint: sed quae comico licuit fingere, quo viderentur senes illi spectatoribus βεκκεσέληνοι esse, quoque exhaustam esse rempublicam ostenderet nec superesse nisi umbras, num eandem oratori causam fuisse dicemus? profecto longe ineptissimum esset. difficilius etiam oratoris verba explicueris, si credatur ipsorum iudicum testimonium adhiberi in rebus, quae a Pisistrato Olymp. LVIII, 4. gesta sunt. itaque ne prorsus falsa referat Andocides, potius proavum commemorari dixerim, et potuerunt sane provectiores iudicum de hac re verum scire, quorum patres ipsi in exilio vixerunt et tyrannos expulerunt.

Quodsi Leogoras Andocidis oratoris proavus Olymp. LXVII, 2. Pisistratidis bellum intulit, credibile est virili aetate eum tum fuisse: sed quamdiu vixerit, non satis certum est. erat quidem, cum reperisse mihi viderer mortis tempus: colligebam e docto Aeschinis interprete 90): Ἠτύχησαν Ἀθηναῖοι ἐννεάκις περὶ τὰς Ἐννέα καλουμένας ὁδούς. — — δεύτερον (sc. διεφθάρησαν) οἱ μετὰ Λεωγόρου κληροῦχοι ἐπὶ Λυσικράτους (ubi corrigunt ἐπὶ Λυσιστράτου 91), qui pertinet ad Olymp. LXXVIII, 2.): hinc, inquam, colligebam caesum a Thracibus Leogoram antiquum esse Olymp. LXXVIII, 2, nec faciebam cum Clintono 92) Leogorae substituente Leagrum, quia hoc uno modo veterum error videbatur explicari posse, qui proderent natum esse Andocidem oratorem Olymp. LXXVIII, 1. credebam enim confudisse veteres antiquum istum Leogoram cum patre oratoris; qui si cecidisset Olymp. LXXVIII, 2, vix potuit orator post Olymp. LXXVIII, 1. natus esse, quia credibile est

89) Vs. 273 sqq. 665.
90) Ad orat. de fals. leg. p. 32, 22 Steph.
91) Vid. Krüger. Histor. philol. Forsch. p. 145 sqq.
92) Fast. Hell. p. 276 Krüg.

Leogoram iam Olymp. LXXVII extr. aut LXXVIII pr. in Thraciam abisse. sed iam diu me poenituit huius coniecturae! quis enim persuaserit sibi, eos, qui de Andocidis oratoris aetate quaesiverunt, ignorasse, superstitem fuisse oratoris patrem, quo tempore Hermae mutilati sunt? accedunt alia: nam cum ipsi aliam erroris istius explicationem invenimus certiorem, tum Meierus 93) egregie ostendit, non dubitari posse, quin recte Leagrum pro Leogora scripserit Clintonus in scholio Aeschinis.

Sequitur antiqui Leogorae filius *Andocides*, quem nepos 94) prodidit foedus tricennale cum Lacedaemoniis fecisse: *Μετὰ δὲ ταῦτα δι' Αἰγινήτας ἐς πόλεμον κατέστημεν, καὶ πολλὰ μὲν κακὰ παθόντες πολλὰ δὲ ποιήσαντες ἐπεθυμήσαμεν πάλιν τῆς εἰρήνης, καὶ ᾑρέθησαν δέκα ἄνδρες ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων πρέσβεις εἰς Λακεδαίμονα περὶ εἰρήνης αὐτοκράτορες, ὧν ἦν καὶ Ἀνδοκίδης* 95) *ὁ πάππος ὁ ἡμέτερος· οὗτοι ἡμῖν εἰρήνην ἐποιήσαντο πρὸς Λακεδαιμονίους ἔτη τριάκοντα.* similiter Aeschines 96), si haec sunt Aeschinis: *Ἀνδοκίδην δ' ἐκπέμψαντες πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς συμπρέσβεις, εἰρήνην ἔτη τριάκοντα ἠγάγομεν,* et falsus Plutarchus 97) ex emendatione Ruhnkenii 98): *Ἀνδοκίδης Λεωγόρου μὲν ἦν πατρὸς [τοῦ Ἀνδοκίδου], τοῦ θεμένου ποτὲ πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνην Ἀθηναίοις.* res pertinet ad Olymp. LXXXIII, 3, ut e Thucydide 99) liquet. quodsi Diodorus 100) e X viris solos Calliam et Charetem nominat, potest tamen Andocides inter reliquos fuisse: nam reliqui erro-

93) L. l. V, 11 p. 104 sq.
94) De pac 6.
95) Hinc patet quam recte Bosslerus de gent. et fam. Att. sac. p. 31 not. 3 contendat, se huius Andocidis nomen e sola coniectura inseruisse. quippe scripturus de Andocidis familia, ne legerat quidem orationes Andocidis, ut Aeschinem taceam.
96) De fals. leg. 174 p. 51, 23 Steph.
97) Vit. Andoc. pr. p. 834 B.
98) Hist. crit. or. Graec. p. 49.
99) I, 115. cf. II, 2 et Pausan. V, 23. 4.
100) XII, 7.

res historici[101]) huic sententiae non obstant. paullo post in bello Samio praetor factus est Andocides, teste Androtione[102]): *Τῶν δέκα στρατηγῶν τὰ ὀνόματα κατὰ Ἀνδροτίωνα· Σωκράτης Ἀναγυράσιος, Σοφοκλῆς ἐκ Κολωνοῦ ὁ ποιητής, Ἀνδοκίδης Κυδαθηναιεύς, Κρέων Σκαμβωνίδης, Περικλῆς Χολαργεύς, Γλαύκων ἐκ Κεραμέων, Καλλίστρατος Ἀχαρνεύς, Ξενοφῶν Μελιτεύς.* acute de hoc bello post alios disseruerunt Krügerus[103]) et Bergkius[104]), et credimus e prioribus praetoribus fuisse Andocidem et Sophoclem. sed quominus Olymp. LXXXIV, 4. Sophoclem praetorem fuisse arbitremur, obstare videtur, quod praetor dicitur factus esse ob doctam Antigonam, cum tamen Euripides dicatur primum praemium consecutus esse Olymp. LXXXIV, 3[105]).

Certius tempus alterius praeturae est; societate enim Olymp. LXXXVI, 4. Apseude archonte inter Corcyraeos et Athenienses facta, vere huius anni Corcyram missus est. nam cum X naves, quibus Athenienses Corcyraeos adiuverant[106]), pauciores viderentur, cum aliis XX posthac Glauco Leagri f. et Andocides Leogorae f. missi sunt[107]), quorum adventu pugna navalis Corcyraeorum et Corinthiorum interrupta est. falso oratorem Andocidem praetorem fuisse cum Vitae scriptore[108]) et scholiasta Thucydidis[109]) statuerunt critici recentiores, exceptis viris egregiis Tayloro[110]) et Meiero[111]): sed

101) Krüger. ad Beckeri librum „Andokides übers. u. erläut." p. 260 sqq. cf. eiusd. „Histor. philol. Studien" p. 207 sq.
102) Apud schol. Aristid. p. 485, 28 Dind.
103) Histor. philol. Stud. p. 214 sqq.
104) De Comoed. Att. p. 56 sqq.
105) Vid. Marm. Par. ep. 60.
106) Thucyd. I, 45. Plutarch. Vit. Pericl. 29.
107) Thucyd. I, 51.
108) Vit. X orat. p. 834 C.
109) Ad I, 51 (e cod. August. rec. manu scr.): *Ἀνδοκίδης ὁ εἷς τῶν δέκα ῥητόρων, ὥς φησιν Ἀκουσίλαος.*
110) Lect. Lysiac. p. 253 et ad Lysiam in Andoc. p. 244 sqq. ed. Reisk.
111) L. l. III p. 3 sq.

aliena haec esse ab oratore Andocide cum Lysias 112) probat, qui hunc dicat supra XL annos natum nondum unquam militasse, tum ipsius Andocidis silentium arguit 113), quibus locis sua de republica Atheniensium merita iactat et adversariorum criminibus respondet; postremo evidentissime patebit ex iis, quae infra de oratoris anno natali dicemus. nam si hic illo tempore X annos natus erat, non potuit praetor creari; et rursus avus, quem probabile est tum LX vel LXX annorum fuisse, aptissimus est. sed etiamsi LXXVII annorum fuerit priscus ille Andocides (nam ut maior credatur eius aetas oratoris 114) testimonium prohibere videtur), ne tum quidem nimis grandem dixerim. nam ut Periclem ipsum taceam et Masinissam, certissima res est de Agesilao et Phocione. de hoc Plutarchus 115): *Ἐκέλευσε τὸν κήρυκα ἀνειπεῖν Ἀθηναίων τοὺς ἀφ' ἥβης ἄχρις ἑξήκοντα ἐτῶν, πέντε ἡμερῶν σιτία λαβόντας, εὐθὺς ἀκολουθεῖν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας. θορύβου δὲ πολλοῦ γενομένου καὶ τῶν πρεσβυτέρων βοώντων καὶ ἀναπηδώντων· „Οὐδέν, ἔφη, δεινόν· ἐγὼ γὰρ ὁ στρατηγὸς ὀγδοηκοστὸν ἔχων ἔτος ἔσομαι μεθ' ὑμῶν“.* eadem idem 116) saepius repetivit et narravit etiam Polyaenus 117): Agesilaum vero scimus LXXX annos natum subsidio isse Tacho in Ae-

---

112) In Andoc. 46.

113) Optime Meierus l. l. „Tacens Andocides disertius loquitur contra se. quam mille testes e farina Pseudoplutarchi pro ipso loqui possunt“.

114) De redit. 26 proavum suum dicit scriptor maluisse cum populo exulare, *ἐξὸν αὐτῷ διαλλαχθέντι τῆς ἔχθρας καὶ γενομένῳ κηδεστῇ ἄρξαι μετ' ἐκείνων τῶν ἀνδρῶν τῆς πόλεως.* res, ut supra monui, pertinere videtur ad extremum Hippiae principatum. hinc colligo, quamdiu Hippias rempublicam habuit, nondum uxorem duxisse Leogoram.

115) Vit. Phocion. 24.

116) Reip. ger. praec. 25 Vol. V. p. 99. An seni resp. s. ger. 15 vol. V. p. 38 Tauchn.

117) Strateg. III, 12. cf. Nepos Phoc. II, 1 e. Interpr.

gyptum 118), nec minoris aetatis Antigonus, Alexandri Magni successor, censendus est, quo tempore in pugna cecidit 119).

Et haec quidem hactenus: restat ut coniecturam qualemcunque offeram. apud Suidam 120) legitur: *Φιλέας Ἀνδοκίδην ἐγράψατο ἱεροσυλίας, ὥςπερ οὐκ αὐτὸς ὢν ὁ τῆς θεοῦ τὸ Γοργόνειον ἐκ τῆς ἀκροπόλεως ὑφελόμενος, ὡς Ἰσοκράτης λέγει*, et rursus 121): *Φιλοῦργος, οὗτος ἄσωτος ὢν ἐφωράθη ἐν Ἀθήναις τὰ ἱερὰ συλήσας καὶ τὸ Γοργόνειον ὑφελόμενος, ὡς Ἰσοκράτης λέγει· μέμνηται τούτου Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος.* rem si consideres, satis gravis est, ut mireris eam praetermissam esse a scriptoribus aetatis Andocideae. meminerat eam Aeschines, ut e Suida scimus, quamvis frustra quaesiveris in Orationibus Aeschineis: haud inepte tamen Aeschinem interpolavit Taylorus 122). ante Aeschinem Isocrates adversus Callimachum (Olymp. XCIV extr.) scripsit 123): *Ὅμοιον* 124) *ἐργαζόμενος, ὥςπερ ἂν εἴ τῳ Φρυνώνδας πανουργίαν ὀνειδίσειεν ἢ Φιλοργὸς ὁ τὸ Γοργόνειον ὑφελόμενος τοὺς ἄλλους ἱεροσύλους ἔφασκεν εἶναι.*

---

118) Xenoph. Agesil. II, 28. Plutarch. Vit. Agesil. 36. Nepos Agesil. VIII, 2.

119) Plutarch. Vit. Demetr. 19.

120) Sub v. *Φιλέας* et *Ὅμοιον* (p. 118 Bernh.), ubi haec leguntur: *εἰ καὶ Φιλέας Ἀνδοκίδην ἱεροσυλίας ἐγράψατο, ὥςπερ οὐκ αὐτὸς ὢν ὁ τῆς θεοῦ τὸ Γοργόνειον ἐξ ἀκροπόλεως ἀφελόμενος*, quae e Synesio transcripta esse primus monuit Taylor. ad Aeschin. in Ctes. p. 73, 12 Steph. cf. ad Lysiam p. 190 Reisk. sed unde lemma *Ὅμοιον* ortum sit, haud facile dixeris, nisi Isocratis locus excidit, quem infra attuli.

121) Sub v. *Φιλουργός*, ubi rectius scribetur *Φιλοῦργος*, si fides habenda schol. Aristoph. Lys. 266: *Φιλοῦργε ὄνομα, ἐὰν δὲ ὀξυτόνως ἐπίθετον.*

122) L. l.

123) 57.

124) Videtur ap. Suidam s. v. *Ὅμοιον* hic locus olim scriptus fuisse, cui serius alleverit aliquis Synesii verba e voce *Φιλέας*. librariorum vero iniuria factum sit, ut genuina Suidae verba exciderent, servarentur adulterina.

propter Isocratis aetatem, etiamsi Aeschinem neglexeris, non potest de Lachare Atheniensium tyranno 125) cogitari et de eius adiutoribus, quanquam Lachares teste Plutarcho 126) τὴν Ἀθηνᾶν ἐξέδυσεν. ne multa; ante XXX viros semel tantum perisse videtur Gorgoneum Medici belli tempore: quod Themistoclis dicitur strategema a Clidemo apud Plutarchum 127): *Καταβαινόντων γὰρ εἰς Πειραιᾶ τῶν Ἀθηναίων, φησὶν ἀπολέσθαι τὸ Γοργόνειον ἀπὸ τῆς θεοῦ τοῦ ἀγάλματος. τὸν οὖν Θεμιστοκλέα προςποιούμενον ζητεῖν καὶ διερευνώμενον ἅπαντα χρημάτων εὑρίσκειν πλῆθος ἐν ταῖς ἀποσκευαῖς ἀποκεκρυμμένων.* quid igitur si Philurgum (Phileas enim deberi videtur memoriae fallaci Synesii) dicemus Themistoclis consilio fecisse, et quo ipse tutior esset Andocidem reum egisse? congruit quod ab Aristophane 128) Olymp. XCII pr. senex capularis commemoratur Philurgus, et petiit fortasse Suidas sua e scholiis Aristophanis plenioribus, nec adversatur antiqui Andocidis aetas, qui e nostris rationibus circa tempus Salaminiae pugnae XX. vel XXV. annum egerit.

Genuit Andocides ex uxore, cuius soror Critiam peperit 129), *Leogoram*, oratoris patrem, et filiam, quae nupsit Aristoteli, unde natus est Charmides 130). sed quo illustriores fuerant maiores, eo turpiora Leogorae vitia sunt, qui homo mollis dicitur a comicis et gulae deditus. luxuriei documentum praebet Aristophanes 131), ubi gallos Phasianos nutrire dicitur Leogoras:

Οὐκ ἂν μὰ τὸν Διόνυσον, εἰ δοίης γέ μοι
Τοὺς Φασιανούς, οὓς τρέφει Λεωγόρας,

---

125) De Lachare vid. Clinton. Fast. Hell. ad ann. 299. add. Polyaen. Strat. III, 7. Plutarch. Vit. Demetr. 33. de seriore Lachare vid. Plutarch. Vit. Anton. 67.
126) De Isid. et Osir. 71. vol. III p. 66.
127) Vit. Themist. 10.
128) Lysistr. 266.
129) Andoc. de myst. 47.
130) Ibid.
131) Nub. v. 108. sq.

ubi galli videntur intelligendi, non equi 132). sed sive vescebatur his avibus, sive, quod unice verum videtur,

132) Atticistarum praeceptum: Φασιανοὶ ἵπποι, Φασιανικοὶ δὲ ὄρνεις, vereor ne ex Aristophanis loco Av. 66 natum sit: Ἐπικεχοδὼς ἔγωγε Φασιανικός, quod erat fortasse unicum certum exemplum. saltem, donec ostensum fuerit, locis non dubiis, Phasianos fuisse Athenis certum genus equorum, licebit de sola ave cogitare. neque vero totius loci color equis adversatur, ut visum est Brunckio, qui ineptam censuit sententiam: „Non abiiciam equitandi studium licet mihi dares pulcherrimos equos". nam et ita loqui potuit iuvenis, qui nil nisi equos nosset, nec ita sententiae cohaerent: credibile enim est Phidippidem respondere ad alteram tantum patris rogationem: „*Non fiam Socratis discipulus*, etiamsi mihi dederis Leogorae equos Phasianos"; quare responderit etiam Strepsiades, ἴθ', ἀντιβολῶ σ', ὦ φίλτατ' ἀνθρώπων ἐμοί, Ἐλθὼν διδάσκου. haec qui reputaverit, sane equos intelligere poterit, si idoneus testis prolatus sit. neque vero arbitror Leogoram has aves nutrivisse, ut in eius ventrem descenderent; sed factum videtur spectaculi causa, ut pavones ex Asia allatos (cf. Aristoph. Acharn. 63) Athenis aluit Pyrilampes et Antiphonte teste singulis pleniluniis introëuntibus spectandos proposuit (vid. Böckh. Ind. Lect. aest. 1839 p. 14). admirabantur vero non solum pavones sed etiam gallos phasianos, teste Solone ap. Diog. Laërt. I, 51, qui prae Croeso ornatissimo sibi placere fassus est: Ἀλεκτρυόνας φασιανοὺς καὶ ταώς· φυσικῷ γὰρ ἄνθει κεκόσμηται καὶ μυρίῳ καλλίονι. minus vero credibile est, quod scripsit Fritzschius (ad Sluiteri Lect. Andocid. ed. Schiller. p. 188): „Cum diceret adolescens εἰ δοίης γέ μοι τοὺς Φασιανούς, quivis haec audiens avem illam animo informabat: sed cum post aliquando adiiceret — οὓς τρέφει Λεωγόρας, tum vero cum voluptate animadvertebat sibi verba data esse, Phasianos autem nominari sycophantas, quos Leogoras ad coenam vocare soleret, sive parasitos eius, qui iidem essent sycophantae". comici etymi habita ratione sycophantas quidem vocabant φασιανούς (Arist. Ach. 726. Av. 68 c. schol.), tamen sycophanta et parasitus aliquanto differunt, etiamsi parasiti nonnunquam etiam sycophantae fuerint; et omnino, ut fatear, mihi quidem hi sales non videntur salaces. — ceterum satis constat iuvenes sibi pro beneficio aliquo par columbarum poscere, et gallos gallinaceos pugnaces et asturconem Macedonicum, ut liquet e sermone paedagogi nequissimi ap. Petron. Satir. vol. I p. 342 sqq. ed. Lat. Gall. 1709.

aluit ad opes ostentandas et delectandos oculos 133), apertius tamen eum lurconem fuisse et libidinosum reliqua testimonia probant. nam Athenaeus quo demonstraret, istos Phasianos apud Aristophanem non equos sed aves fuisse, quas ederet Leogoras, haec addidit 134): *κωμῳδεῖται γὰρ ὁ Λεωγόρας ὡς γαστρίμαργος ὑπὸ Πλάτωνος ἐν Περιαλγεῖ.* ipsos Platonis versus servavit scholiasta Aristophanis 135) et Suidas 136), sic fortasse scribendos:

Ὦ θεῖε Μόρυχε 137), *θεὸς* 138) *γὰρ εὐδαίμων ἔφυς,*

---

133) Etiam Meierus l. l. III p. 5 ita intelligere videtur locum. scripsit enim: „Leogoras iam, ut minimum dicam, sexagesimum quintum annum egit, in quam senectam non cadere solet frivolae adolescentiae lusus"; quanquam in quaestione de aetate Andocidis abstinuerim hoc argumento.

134) IX p. 387 A.

135) Ad Nub. 119.

136) Sub v. *Φασιανοί.*

137) Morychi gulositas satis nota est. vid. Aristoph. Ach. 887, ubi schol. (895) *ὁ Μόρυχος ἐπὶ ὀψοφαγίᾳ κωμῳδεῖται· ἦν δὲ καὶ τῶν ἡδέως βιούντων. τραγῳδίας ποιητὴς οὗτος.* huc pertinet etiam schol. Acharn. 61. *πρέσβεις δὲ οὗτοί εἰσιν οἱ περὶ τὸν Μόρυχον ἐμπλησθέντες τρυφῆς.* cf. Suidas v. *Μόρυχος* (p. 885 Bernh.), Aristoph. Pac. 1008 (c. schol. 1006), Vesp. 506 (c. schol. 526), 1142 (c. schol. 1181). *Μόρυχος Βουτάδης γραμματεύς* est in titulo Attico (Corp. Inscr. Graec. n. 150, a, 11) ad Olymp. XCV, 4 referendo. Morychi alicuius aedes commemoravit Plato Phaedr. p. 227 B, ubi Hermiam vide et schol. et Ruhnken. ad Timaeum p. 183. insignis locus falsi Plutarchi est in Proverb. qu. Alexandrini usi s. 40 vol. VI p. 563: „*Μορύχου Διονύσου καὶ Μωρότερος εἶ Διονύσου, ὃς τἄνδον ἀφεὶς ἔξω τῆς οἰκίας κάθηται". ἐπὶ τῶν εὐηθές τι διαπεπραγμένων. Μωρύχας δὲ ὁ Διόνυσος κατ᾽ ἐπίθετον ἀπὸ τοῦ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ μολύνεσθαι, ἐπειδὰν τρυγῶσι, τῷ ἀπὸ τῶν βοτρύων γλεύκει καὶ τοῖς χλωροῖς σύκοις. μωρύξαι δὲ τὸ μολῦναι· καταγνωσθῆναι δὲ αὐτοῦ εὐήθειαν παρόσον ἔξω τοῦ νεὼ τὸ ἄγαλμα αὐτοῦ ἐστὶ παρὰ τὴν εἴςοδον ἐν ὑπαίθρῳ,* quae e libro Polemonis esse intelligitur e Photio et Suida (p. 900) s. v. *Μωρότερος Μορύχου*, qui partim e Pseudoplutarcho emendandi sunt, partim hunc emendant: cf. Suidas s. v. *Μόρυχος* p. 886 Bernh.

138) Suidas *Μόρυχε, τίως γάρ*: scholiasta *Μόρυχέ τε νῦν γάρ.* dedi

Καὶ Γλαυκέτης 139) ἡ ψῆττα, καὶ Λεωγόρας,
Οἳ ζῆτε τερπνῶς 140), οὐδὲν ἐνθυμούμενοι.

lauta eius convivia commemoravit Aristophanes 141), ubi loqui poëta de Amynia Pronapis filio videtur:

Οὗτος ὃν γ' ἐγώ ποτ' εἶδον ἀντὶ μήλου καὶ ῥοιᾶς
Δειπνοῦντα μετὰ Λεωγόρου·
Πεινῇ γὰρ ἧπερ Ἀντιφῶν 142).

opponuntur enim Leogorae epulae tenui Amyniae victui: fortasse Amynias etiam ut parasitus ridetur et simul Leogoras, qui tales homines alat.

Libidinosum Leogoram ea praestant, quae scholiasta 143) addidit: Εὔπολις ἐν Αὐτολύκῳ β', ὡς καὶ διὰ Μυῤῥίναν ἑταίραν τὰ χρήματα ἀποβέβληκέ φησιν: quo cum loco Bergkius 144) aliud fragmentum Autolyci apud Zonaram 145) comparavit: Διέφθορε· οὐ τὸ διέφθαρται δη-

---

θεὸς ob praecedens θεῖε, et quod Plato haec addidisse videtur, quia satis notus erat Bacchus Μορύχας. Bergk. de Com. Att. p. 345 coniecit ὦ θεῖε Μόρυχε, νοῦν γὰρ εὐδαίμων ἔφυς.

139) Glaucetae voracitatem exagitavit Aristoph. Thesm. 1033, ubi schol. ἐπεὶ ὀψοφάγος καὶ γαστρίμαργος ὁ Γλαυκέτης, ὡς ἐν Εἰρήνῃ δηλοῦται, quae spectant ad vs. 1008. Suidas s. v. Μόρυχος, Τελέας, Γλαυκέτης· οὗτοι ἐπὶ μαγγανείᾳ διεβέβληντο. ψῆττα vero videtur Glaucetes vocatus esse propter oris deformitatem. vid. Aristoph. Lysistr. 1031. Plato Conv. p. 191 D. (c. nota Wolfii p. 50), Ruhnken. ad Tim. p. 278. Lobeck Paralip. p. 124 not. 6.

140) Τερπνῶς e Suida est; apud schol. Arist. legitur τερπνόν. illud tuetur Aristophanis locus Vesp. 506: Ζῆν βίον γενναῖον ὥσπερ Μόρυχος, et potuit hic aptissime dici οὐδὲν ἐνθυμούμενος ob proverbium μωρότερος Μορύχου.

141) Vesp. 1267 sqq.

142) Satis mire scholiasta: Ἀντιφῶν· τοῦ Ἀνδοκίδου, περὶ οὗ προείρηται· καὶ οὗτος δὲ πένης ἦν ὁ Ἀντιφῶν: quae conglutinata esse videntur e duobus scholiis, quorum alterum ad Leogoram, alterum ad Antiphontem spectaret.

143) Ad Aristoph. Nub. 109.

144) De Comoed. Att. p. 344.

145) Vol. I p. 548.

λοῖ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ἄλλα το διέφθαρκεν· Εὔπολις ἐν Αὐτολύκῳ·

Ὅτιὴ τὰ πατρῷα πρὸς σὲ καταδιέφθορα,

ratus haec ex altera Autolyci editione servata et verba Leogorae esse, qui Myrrhinae exprobraret, se ipsius causa rem familiarem dilapidasse. ingeniosa quidem haec sunt, sed satis tamen incerta; quanquam id saltem videtur coniici pose, vivum fuisse Leogoram 146), cum Eupolis denuo Autolycum ederet; quod probabile est, factum esse Olymp. XCIII, 3, ut alibi docuimus 147): nec potest demonstrari obisse Leogoram ante hunc annum. credi tamen licet eum ipso hoc anno extremo aut initio sequentis non amplius in vivis fuisse: quod colligo ex oratione de mysteriis 148), in qua Leogorae domum habitasse dicitur Cleophon: *Καίτοι οὐκ ὄνειδος ὑμῖν ἐστὶν ἡ Ἀνδοκίδου καὶ Λεωγόρου οἰκία* 149) *οὖσα, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον τότ' ἦν ὄνειδος, ὅτ' ἐμοῦ φυγόντος Κλεοφῶν αὐτὴν ὁ λυροποιὸς ᾤκει.* crederem Leogoram reliquis opibus consumtis etiam domum vendidisse, nisi e toto sermonis colore liquere videretur, mortuo Leogora haec accidisse. at postquam obiit Leogoras, haec domus hereditate ad Andocidem transiit; qui cum infamis esset, eius bona videntur reipublicae tradita esse, unde acceperit Cleophon. hunc vero constat Olymp. XCIII, 4 extr. interfectum esse: itaque paullo ante obierit Leogoras.

Ceterum ita loquuntur veteres, quasi ipsis constiterit, Leogoram praeter aves illas etiam equos nutrivis-

---

146) Est enim in ipsa comoediae Atticae indole positum, ut maxime vivos lacessat: turpe enim putabatur, mortuis illudere. ac profecto neque lepidum erat, neque alium usum habebat, talia in mortuum Leogoram dici.

147) Vid. Comment. de Xenophontis Convivio, quae mox in Zimmermanni Diario imprimetur.

148) 146.

149) *Ἡ οἰκία ἡ Ἀνδοκίδου* commemoratur a Plutarcho de Genio Socrat. 10 vol IV. p. 15, unde ubi sita fuerit coniici potest.

se. scholiasta Aristophanis 150): ἄδηλον δὲ εἰ καὶ ὄρνεα ἔτρεφεν ὁ Λεωγόρας, μέμνηται δὲ αὐτοῦ ὡς ἱπποτρόφου, et rursus: Λεωγόρου ὡς ἱπποτρόφου μέμνηται. quare cum Athenaeus 151) quoque scripserit: καὶ τὸ ἐν Νεφέλαις δὲ ἐπὶ τῶν ὀρνίθων ἔγωγε ἀκούω καὶ οὐκ ἐπὶ ἵππων, ὡς οἱ πολλοί, fortasse ob hoc ipsum istos Phasianos equos finxerunt veteres, quod ipsis nota erat ἡ Λεωγόρου ἱπποτροφία 152). neque improbabile est, etiam Leogoram equos nutrisse, qui ortus esset e domo nobilissima et ditissima. minus tamen fide digna videntur quae idem scholiasta 153) prodidit: Λεωγόρας δὲ ὄνομα κύριον ἑνὸς τῶν Ἀθήνησι πολιτευσαμένων τότε· πατὴρ δὲ οὗτος ἦν Ἀνδοκίδου τοῦ ῥήτορος. nam ut taceam eum, qui scortis et gulae deditus fuisse dicatur, non videri ad remp. accessisse, nec commemorari a quoquam Leogoram demagogum aut praetorem, quanquam expectamus tale quid a filio proditum esse; potuit errore facili grammaticus antiquum Leogoram confundere cum nepote cognomini.

Uxor erat Epilyci soror 154), filia Tisandri 155), cuius altera filia Xanthippo Periclis f. nupserat. genuit ex illa duos tantum liberos 156), Andocidem et filiam, quam Callias Teleclis f. Euphemi frater 157) in matrimonium duxit. solus Tzetzes 158) Andocidem prodidit a Leogora adoptatum fuisse:

Ὁ Ἀνδοκίδου ῥήτορος πατὴρ ἦν Λεωγόρας,
Ὑπ' Ἀνδοκίδου προδοθείς· νικήσας δὲ τῇ δίκῃ
Τοὺς δικαστὰς ἱκέτευσε γυναῖκα σχεῖν ἐς γάμον,

---

150) Ad Nub. 109.
151) IX p. 387 A.
152) Similiter statuit Fritzschius l. l.
153) L. l.
154) Andoc. de pac. 29.
155) Andoc. de myst. 117. de pac. 29.
156) Andoc. de myst. 50. 148.
157) Andoc. de myst. 40. 42. 47. 50.
158) Chil. VI, 367 sqq.

Ὅπως δὴ παῖδας ἐξ αὐτῆς γεννήσῃ τῶν γνησίων.
Ὁ Ἀνδοκίδης γὰρ θετὸς ἦν παῖς τῷ Λεωγόρᾳ,
Χρήμασιν υἱοποιηθεὶς αὐτῷ δι' ἀπαιδίαν.

et recte quidem Sluiterus 159) et Beckerus 160) fidem denegarunt Tzetzae: sed non docuerunt, qua ratione lapsus sit grammaticorum omnium ineptissimus: quod quoniam et utile simul et iucundum est faciam. videbimus enim quam parum fidi sint auctores Tzetzes et alii semidocti scriptores, et aliquid lucri faciemus ad constituendum Andocidis oratoris annum natalem. sed paucis rem exequar, accuratius acturus de his in rebus oratoris enarrandis. Lysias 161) de tempore loquens, quo Andocides cum patre et propinquis in carcerem coniectus est Dioclidis delatione, de Andocide scripsit: *Ἐμήνυσε δεδεμένος κατὰ τῶν αὐτοῦ συγγενῶν καὶ φίλων*, et paullo post 162): *μετὰ ταῦτα ἐπειδὴ ἀπεκτονὼς ἦν, οὓς αὐτὸς ἔφη περὶ πλείστου ποιεῖσθαι, ἔδοξε τἀληθῆ μηνῦσαι καὶ ἐλύθη.* similiter falsus Plutarchus 163): *Κριθεὶς ἐπὶ τούτοις ἀπέφυγεν ἐπὶ τῷ μηνύσειν τοὺς ἀδικοῦντας· σπουδὴν δὲ πᾶσαν εἰςενεγκάμενος ἐξεῦρε τοὺς περὶ τὰ ἱερὰ ἁμαρτόντας, ἐν οἷς καὶ τὸν αὐτοῦ πατέρα ἐμήνυσε. καὶ τοὺς μὲν ἄλλους πάντας ἐλέγξας ἐποίησεν ἀπολέσθαι, τὸν δὲ πατέρα ἐῤῥύσατο καίπερ δεδεμένον ἤδη, ὑποσχόμενος πολλὰ λυσιτελήσειν αὐτὸν τῇ πόλει· καὶ οὐκ ἐψεύσατο, ἤλεγξε γὰρ ὁ Λεωγόρας πολλοὺς δημόσια χρήματα σφετεριζομένους καὶ ἄλλα τινὰ ἀδικοῦντας, καὶ διὰ ταῦτα ἀφείθη τῆς αἰτίας.* longe aliter rem ipse Andocides narravit, nec dubito quin pleraque falsa fuerint, quae adversarii obiecerunt; quod olim ostendam. nunc hoc unum adiicio, quod patet ex oratione de mysteriis 164), fuisse

---

159) Lect. Andocid. p. 13.
160) Andokides übers. u. erläut. p. 8.
161) In Andoc. 23.
162) Ibid. 24.
163) Vit. Andoc. p. 834 D.
164) 19 sqq.

etiam qui Leogoram dicerent propter Andocidis indicium in capitis periculum adductum esse: ἔλεξαν οἱ κατήγοροι, ὡς ἐγὼ μηνύσαιμι περὶ τῶν μυστηρίων, ἀπογράψαιμί τε τὸν πατέρα τὸν ἐμαυτοῦ παρόντα, καὶ γενοίμην μηνυτὴς κατὰ τοῦ πατρὸς τοῦ ἐμαυτοῦ, et aliquanto post in eadem oratione 165) dixit: εἰ οὖν τινὶ ὑμῶν, ὦ ἄνδρες, ἢ τῶν ἄλλων πολιτῶν γνώμη τοιαύτη πρότερον παρειστήκει περὶ ἐμοῦ, ὡς ἄρα ἐγὼ ἐμήνυσα κατὰ τῶν ἐμαυτοῦ ἑταίρων, ὅπως ἐκεῖνοι μὲν ἀπόλοιντο, ἐγὼ δὲ σωθείην (ἃ ἐλογοποίουν οἱ ἐχθροὶ περὶ ἐμοῦ, βουλόμενοι διαβάλλειν με), σκοπεῖσθε ἐξ αὐτῶν τῶν γεγενημένων. liquet igitur finxisse accusatores, Leogoram a filio in ius vocatum esse: in tali vero oratione loquentem arbitror inductum esse Leogoram: „Hunc non suum filium esse sed natum monstro aliquo sibi subditum esse 166); aliam uxorem sibi esse quaerendam, quae veros filios sibi pareret". talia fere verba si Leogorae statueris tributa ab oratore aut rhetore nescio quo, habebis unde Tzetzae error explicetur; nam quae ille finxit Leogoram dicere, quaeque Leogoras, si dixisset, ira commotus et figurate dixisset, ea Tzetzes, quasi Thucydides narraverit, credidit, et pro acumine suo addidit, adoptatum esse a Leogora Andocidem.

Neque vero id solum egi, ut Tzetzae errorem, unde ortus sit, demonstrarem, sed aliam etiam ni fallor operam praestat hic locus. nam si fingebatur Leogoras

---

165) 54.

166) Similia ubivis habes. Homerus Iliad. π, 34. Οὐδὲ Θέτις μήτηρ, γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα Πέτραι τ' ἠλίβατοι. Sophoclis Oedipus de filiis in Oed. Col. 1369: Ὑμεῖς δ' ὑπ' ἄλλου κοὐκ ἐμοῦ πεφύκατον, et ipse Polynices ibid. 1323: Ἐγὼ δὲ σός, κεἰ μὴ σός ἀλλὰ τοῦ κακοῦ Πότμου φυτευθείς, σός γέ τοι καλούμενος. cf. Sophoclis Pelias fr. 433 cum Welckeri explicatione (die Griech. Tragöd. I. p. 343), Abaridis epist. ad Phalarid. in Epistol. Graecan. c. interpr. Cuiac. p. 71. ita Venus apud Apulei. Metam. V. (vol. I p. 102. ed. Altenb.) irata ad filium dicit: „Velim ergo scias, multo te meliorem filium alium genituram".

dixisse apud iudices, sibi aliam uxorem quaerendam esse, quae genuinos filios pareret, patet illo tempore suffecisse Leogoram proli procreandae. sed accidit res Olymp. XCI, 2, quo anno Leogoras e vulgari computatione LXXX. fere annum attigerat. at nonne ineptissimum est, vel fingi hominem octogenarium de filio loqui a se procreando? sed dixeris haec non maximi momenti esse et sumsisse fortasse Tzetzam e rhetoris declamatione, cui non satis constiterit de annis Leogorae: quod neque nego nec concedo; id vero video, rursus ab Eupolide sexto anno post, si vera est coniectura nostra de tempore alterius Autolyci, turpes Leogorae amores taxari. sed iuniorem fuisse Leogoram quam vulgo creditur, etiam alia ratione effici potest: proferam igitur argumenta gravissima, ab aetate Andocidis petita, ut tandem aliquando facessant, qui vel post Meieri commentationem optimam Theagenide archonte natum esse oratorem Andocidem falso Plutarcho crediderunt.

Prodidit igitur scriptor Vitae Andocideae 167): *Καὶ ἤκμακε μὲν κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον ἅμα Σωκράτει τῷ φιλοσόφῳ, ἄρχει* 168) *δὲ αὐτῷ τῆς γενέσεως Ὀλυμπιὰς*

---

167) P. 835 A.

168) Photius Cod. 261 p. 488 Bekk. *ἀρχὴν αὐτῷ τῆς γενέσεως γενέσθαι ἢ καὶ ὁ Ὀλυμπιάδα*, et recte videtur dici et *ἄρχει* et *ἀρχή*, licet scripserit doctissimus vir Meierus l. l. III, p. 4: „Quis autem est ex cuiuscunque generis scriptoribus, qui isto modo hominis natales significaverit *ἄρχει* vel *ἀρχὴ αὐτῷ τῆς γενέσεως Ὀλυμπιάς*? nemo quisquam", quae nollem tam obscure dicta essent. quodsi idem paullo post (p. 7) addidit: „Illud videor mihi demonstrasse, neque apud quenquam scriptorem verbis *ἀρχὴ* vel *ἄρχει τῆς γενέσεως αὐτοῦ Ὀλυμπιὰς ἑβδομηκοστὴ ὀγδόη* significari posse, ea Olympiade Andocidem oratorem esse natum, et, si vel maxime significetur, falsum id ipsum esse et contra veritatem pugnare", nobis quidem tantum posterius verum esse videtur (nam nos quoque aliquanto ante editam Meieri commentationem tertiam nostris viribus aetatem Andocidis veram reperimus): negamus vero ostendisse

μὲν ἑβδομηκοστὴ ὀγδόῃ, ἄρχων δὲ Ἀθήνησι Θεογενίδης, ὥστε εἶναι πρεσβύτερον αὐτὸν Λυσίου ἔτεσί που δέκα:

---

virum clarissimum, falsum esse illud dicendi genus. nam quod scriptor, qui sub Plutarchi nomine latet, duobus locis aliter locutus est, num ideo suspecta erunt haec verba? accedit quod ipse Meierus scripsit (p. 4): „Nam ἄρχει τῆς γενέσεως tantum abest, ut graecum non sit, ut reconditum aliquod dicendi genus videatur prae se ferre". quid quod ipse olim (de bonis damn. p. 233 sq.) similia attulit, quae mihi quoque praesto erant? Lex apud Andoc. de myst. 96: ἄρχει χρόνος τοῦδε τοῦ ψηφίσματος ἡ βουλὴ οἱ πεντακόσιοι οἱ λαχόντες τῷ κυάμῳ, ὅτε Κλεογένης ἐγραμμάτευεν. Titulus antiquissimus (in Corp. Inscr. Graec. n. 11): Συνμαχία κ'ἔα ἑκατὸν Fέτεα· ἄρχοι δέ κα τοΐ, ubi Böckhius (vol. I. p. 29) attulit Thucyd. IV, 118: Καὶ ὡμολόγησαν ἐν τῷ δήμῳ τὴν ἐκεχειρίαν εἶναι ἐνιαυτόν· ἄρχειν δὲ (sc. αὐτῆς) τήνδε τὴν ἡμέραν τετράδα ἐπὶ δέκα τοῦ Ἐλαφηβολιῶνος μηνός. Id. V, 19: Ἄρχει δὲ τῶν σπονδῶν ἔφορος Πλειστόλας, Ἀρτεμισίου μηνὸς τετάρτῃ φθίνοντος, ἐν δὲ Ἀθήναις ἄρχων Ἀλκαῖος, Ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς ἕκτῃ φθίνοντος. Titulus Orchomenius n. 1569, a, III, 40: Ἀρχι τῶ χρόνω ὁ ἐνίαυτος ὁ μετὰ Θύναρχον ἄρχοντα Ἐρχομενίυς. Titulus Atticus n. 71, b, 13: Ἄρχειν δὲ τὸν χρόνον τῶν σπονδῶν τοῦ Μεταγειτνιῶνος μηνὸς ἀπὸ ἀρχομηνίας καὶ τὸν Βοηδρομιῶνα καὶ τοῦ Πυανεψιῶνος μέχρι δεκάτης ἱσταμένου. n 93, 18: Χρόνος ἄρχει τῆς μισθώσεως τοῦ Δημητρίου καρποῦ Εὔβουλος ἄρχων, τοῦ δὲ ξυλίνου ὁ μετ' Εὔβουλον. n. 160, 40, § 3: Τοῦ δὲ λοιποῦ ἔργου ἅπαντος ἐγ κύκλῳ ἄρχει ὁ Ἐλευσινιακὸς λίθος, πρὸς ᾧ τὰ ζῷα. haec viro summo debemus, qui rursus conf. in Add. ad vol. I. p. 877. comparandus vero maxime Polybii locus est I, 3: Ἄρξει τῆς πραγματείας ἡμῖν, τῶν μὲν χρόνων Ὀλυμπιὰς ἑκατοστὴ καὶ τετταρακοστή, τῶν δὲ πράξεων ὁ Συμμαχικὸς πόλεμος. haec vero qui consideraverit, pleraque ab ipso Meiero allata, non vituperaturum fuisse credet virum praestantissimum, si legeremus apud Vitae scriptorem: Ἄρχει vel ἀρχὴ αὐτῷ τοῦ βίου Ὀλυμπιὰς κτλ. itaque tota offensio versari videtur in voce γένεσις. atque hoc nunquam satis mirari potui, quod vir summus propter hanc ad emendationem confugit violentissimam et minime probabilem. rem paucis expediam. ut γεγονέναι saepissime legitur non de anno natali, sed de tempore quo quis floruerit, ut, si quis dicatur γεγονέναι κατὰ τὰ Μηδικά, c.e.li possit aut natus esse aut clarus fuisse circa bellum Medicum:

sic enim corrigendam esse librorum lectionem ἑκατόν quivis intelligit, qui meminerit ab eodem scriptore Lysiam natum dici archonte Philocle Olymp. LXXX, 2 169). sed quantopere fallatur scriptor, facile ostendi potest. Andocidis oratio de mysteriis habita esse videtur Olymp. XCV, 1: quod non colligo, ut Clintonus170), ex his Andocidis 171) verbis: Ἀλλὰ γάρ, ὦ ἄνδρες, διὰ τί ποτε — — — τρία ἔτη μὲν ἐπιδημῶν καὶ ἥκων ἐκ Κύπρου οὐκ

---

sic γένεσις quoque praeter temporis punctum, quo quis in lucem editus sit, omnino pro *vita* videtur dici: ita enim comparatus est homo, ut semper fiat; quare huius γενέσεως initium cogitare possumus. sic falsus Plato Epist. IX. p. 358 A: Ἀλλὰ κἀκεῖνο δεῖ σε ἐνθυμεῖσθαι, ὅτι ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δέ τι οἱ λοιποὶ φίλοι, ubi γένεσις non *ortus* est, sed *existentia* sive *vita*. opponitur τῇ γενέσει ὁ θάνατος: nihilominus Lucianus Asino 34: καὶ τέλος αὐτοῖς τοῦτο τῆς συμφορᾶς καὶ τοῦ θανάτου γενέσθαι. deinde σύστασις et γένεσις non multum differt. Polyb. IX, 35: Ὁ Εὐφράτης τὴν ἀρχὴν λαμβάνει τῆς συστάσεως ἐξ Ἀρμενίας. quid quod ipse Isocrates dixit (Philipp. 67): Κῦρος δ' οὕτω οἰκτρᾶς αὐτῷ τῆς ἐξ ἀρχῆς γενέσεως ὑπαρξάσης εἰς τοσοῦτον προῆλθεν? quid autem apertius quam Aristotelis verba Hist. Anim. VII pr. p. 581, 9: Περὶ δ' ἀνθρώπου γενέσεως τῆς πρώτης τῆς ἐν τῷ θήλει καὶ τῆς ὕστερον μέχρι γήρως? sic apud Plutarchum quoque de Roma loquentem reperitur ἐκ πρώτων γενέσεων de Fort. Rom. 11 vol. II. p. 379, et contendit de Herod. mal. 13 vol. IV. p. 187, Herodotum de Baccho et Hercule loqui: ὡς ἀρχὴν ἔχοντας γενέσεως καὶ οὐκ ὄντας ἀϊδίους. Lucian. de salt. 37: ἀπὸ Χάους εὐθὺς καὶ τῆς πρώτης τοῦ κόσμου γενέσεως. sic ἡ ἐξ ἀρχῆς γένεσις maris apud Aristot. Meteor. II pr. p. 353, 34 dicitur et ἡ πρώτη γένεσις terrae ibid. II, 3. p. 357,, 17 et ἡ ἐξ ἀρχῆς γένεσις καὶ οὐσία ventorum ibid. II, 6 extr. p. 365, 11, ut alia mittam plurima. dicit igitur falsus Plutarchus: „*Vitae* initium ei est Olympias LXXVIII."

169) Vit. Lys. p. 835 C. 836 A. cf. Vit. Isocr. p. 836 E. atque ita etiam Dionysius.

170) Kast. Hell ad ann. 400, 3.

171) De myst. 132.

ἀσεβεῖν ἐδόκουν αὐτοῖς — — — νῦν δὲ ἀσεβῶ καὶ ἀδικῶ εἰσιὼν εἰς τὰ ἱερά; nam quanquam etiam aliunde novimus, e Cypro revertisse Andocidem, tamen non satis liquet, utrum *statim* post Oblivionis legem in patriam redierit necne, et id unum ex illo testimonio effici potest, non ante Olymp. XCV, 1. habitam esse orationem, quia Olymp. XCIV, 2. m. Boëdrom. lata est illa lex. quid quod videri possit orator aliquo loco 172) ad Socratis mortem (Olymp. XCV, 1 extr.) respicere? recte tamen illi anno credo orationem assignatam esse propter ea verba, quae istum locum sequuntur 173): Ἀγύῤῥιος γὰρ οὑτοσί, ὁ καλὸς κἀγαθός, ἀρχώνης ἐγένετο τῆς πεντηκοστῆς τρίτον ἔτος καὶ ἐπρίατο τριάκοντα ταλάντων, μετέσχον δ' αὐτῷ οὗτοι πάντες. nam hoc e colore loci colligimus, post expulsos Triginta *primum* Agyrrhium quinquagesimam redemisse: quare adiecerit scriptor 174): κερδάναντες δὲ τρία τάλαντα, γνόντες τὸ πρᾶγμα οἷον εἴη, ὡς πολλοῦ ἄξιον, συνέστησαν ἅπαντες. etenim quia pace cum Lacedaemoniis facta opes Atheniensium valde minutae erant, non scire poterant, quantum lucrum foret, sed tum *primum* usu cognoverunt; nec potest dubitari, quin statim post Oblivionis legem vectigalia elocata sint: itaque cum ante tres annos haec dicatur Agyrrhius conduxisse primus, patet orationem Olymp. XCV, 1. habitam esse, ut videtur, haud diu post magna Mysteria. secundo anno vectigalia redemerat Andocides XXXVI talentis; num idem tertio rursus conduxerit, dubitari potest. sed redeo, unde abii. si Andocides Theagenide archonte Olymp. LXXVIII, 1. natus esset, ut prodidit falsus Plutarchus, quo anno habita est oratio de mysteriis egisset annum LXVIII. ac provectiorem fuisse collegit Clintonus 175) e Lysiae 176) verbis: Οὔκουν χρὴ μὰ τὸν Δία οὔτε πρε-

172) Ibid. 7.
173) Ibid. 133.
174) Ibid. 134.
175) L. l.
176) In Andoc. 32.

σβύτερον ὄντα οὔτε νεώτερον, ὁρῶντας Ἀνδοκίδην ἐκ τῶν κινδύνων σωζόμενον, συνειδότας αὐτῷ ἔργα ἀνόσια εἰργασμένῳ, ἀθεωτέρους γενέσθαι, ἐνθυμουμένους ὅτι ἥμισυς ὁ βίος βιῶναι κρεῖττον ἀλύπως ἐστὶν ἢ διπλάσιος λυπουμένῳ, ὥςπερ οὗτος: quasi vero huic loco ullum insit senescentis Andocidis vestigium 177). potius cavere voluit orator, „ne quis, dum servatum e periculis videt Andocidem, cuius comperta habeat facinora, peius de deorum iustitia sentiat. dimidiam enim vitam, si possis sine curis vivere, praeferendam esse duplici ei, qualem Andocides egerit, periculis et aerumnis refertam. itaque non benevolentiae deorum tribuendum esse, quod tam miseram vitam prolongaverint Andocidi, nec iram numinis metuendam esse Atheniensibus, si tandem aliquando puniatur Andocides: sed ipsos deos tribuisse Andocidi pro poena hanc vitam, cum gratius sit iucundam vitam brevi tempore agere quam duplicem aerumnosam, quali hactenus usus sit Andocides“. nullo vero modo potest *οὔτε πρεσβύτερον ὄντα οὔτε νεώτερον* cum *Ἀνδοκίδην* coniungi, sed apertissimum est haec ad *ὁρῶντας* pertinere.

His refutatis ea affero, e quibus liquet orationem de mysteriis non a *sene* Andocide habitam esse, sed a *viro;* maxime vero huc faciunt, quae de sua cum Callia discordia narravit scriptor 178). Epilycus, Tisandri f., qui nuper in Sicilia mortuus erat, duas reliquerat filias epicleros: harum alteram Andocides in matrimonium petiverat, alteram Leager, qui genere proximi essent. et ea quidem virgo, quam ducturus erat Andocides, immatura morte absumta est, altera vero supererat, eamque ut sibi cederet Leager, pecuniam pollicitus Callias Hipponici f. efficiebat. quod cum innotesceret, a Leagro postulavit Andocides, ut aut ipse duceret aut sibi cederet.

---

177) Errasse Clintonum in loco interpretando etiam Meierus monuit l. l. III p. 5 not. 12. ad verba ipsa cf. Platon. Reip. II p. 380 C.

178) De myst. 117 sqq.

tum Callias re cognita die X. m. Boëdr. epiclerum illam petivit Protarcho filio suo, quem e Chrysiade, avia illius virginis, genuerat; utque Andocidem depelleret, die XX. eiusdem mensis, ipsis mysteriis, data pecunia Cephisium actorem subornavit. neque vero detrectavit litem Andocides; igitur die post mysteria Callias, quo adversarium perderet et ipse Epilyci filiam data pecunia haberet, olivae ramum in ara posuit: postremo cum ne sic quidem terreret Andocidem, eius amicos adiit, se litem compositurum esse ea conditione, ut sibi virgo in matrimonium daretur. sed ne tum quidem puellam sibi eripi passus est Andocides, sed maluit vitae periculum subire quam illam cedere. haec qui legerit, negabit senem duodeseptuagenarium loqui: nonne ridere debebant iudices, cum audirent senem hunc pro nuptiis inimicitias gravissimas suscipere et in ipsum vitae periculum venire, eique occlamare cum poëta 179):

Εὖ γοῦν ὡς γαμεῖν ἔχεις τάλας?

sic ridetur a Luciano 180) *ἑξακοντούτης νύμφιος*, ita Ciceronem obiurgabant, quod sexagenarius Publiliam virginem duxisset 181), et hanc ob causam noluit Plato 182) viros supra LV annos natos proli procreandae operam

179) Apud Plutarchum An seni s. ger. resp. 9 vol. V p. 31 et Vit. Solon. 20 dicta haec sunt ad Philoctetam non nominato poeta; itaque Matthiaeus, cui a tragoedia aliena viderentur, Strattidi tribuit ad Eurip. fragm. p. 289, quem sequitur Welcker. de trag. Graec. vol. I p. 139. ego potius Euripidi tribuerim; constat enim Troianos Philoctetae, si se adiuvaret, cum alia promisisse tum videntur eum nuptiarum spe demulsisse: quorum verbis haec responderit Ulixes aut Diomedes. nam cum e fragmentis liqueat, Troianos Philoctetae magnam vim auri pollicitos esse et postremo regnum, inter utrumque nuptias ei regias obtulerint. cf. Euripid. Rhes. 165 sqq. Schöll. Beitr. z. Griech. Trag. vol. I p. 665 not.

180) Alexandr. 35.

181) Quintilian. Instit. Or. VI, 3, 75.

182) De Rep. V p. 460 extr.

dare. minus mirarer, si divitiis abundasset Epilyci filia, siquidem Euripide 183) indice:

"Οπου τὸ κέρδος παρὰ φύσιν γαμητέον;

at constat ex ipso Andocide 184) pauperem fuisse puellam.

Sed ut tam irata fuerit virgini fortuna, ut tulerit hoc vanitas senis, ut spreverit quae a comico verissime dicta sunt 185):

Γαμῶ γέρων, εὖ οἶδα, καὶ τοῖς γείτοσιν,

ut oblitus sit Theognidis 186), Euripidis 187), aliorum multorum 188) admonitiones, postremo ut adeo lex Attica e memoria exciderit, a Solone epiclerorum gratia data 189): haec igitur ut ridicula quidem dicas sed quae tamen potuerint fieri; illa tamen non est credibile a sene septuagenario dicta esse, quae in extrema oratione 190) leguntur: Τίνα γὰρ καὶ ἀναβιβάσομαι δεησόμενον ὑπὲρ

---

183) Apud Plutarch. Vit. Demetr. 14.

184) De myst. 118 sq.

185) Apud Plutarch. An seni s. ger. resp. 9 vol. V p. 31.

186) Eleg. 457 sqq. Bekk. *Οὔτοι σύμφορόν ἐστι γυνὴ νέα ἀνδρὶ γέροντι· Οὐ γὰρ πηδαλίῳ πείθεται ὥςτ' ἄκατος, Οὐδ' ἄγκυραι ἔχουσιν· ἀποῤῥήξασα δὲ δεσμὰ Πολλάκις ἐκ νυκτῶν ἄλλον ἔχει λιμένα.* Theognidis sententiam laudat etiam Eustath. ad Iliad. ω. p. 1345, 56, et expressit Theophilus ap. Athenae. XIII p. 560 A. *Οὐ σύμφορον νέα 'στι πρεσβύτῃ γυνή. Ὥςπερ γὰρ ἄκατος οὐδὲ μικρὸν πείθεται Ἐνὶ πηδαλίῳ, τὸ πεῖσμ' ἀποῤῥήξασα δὲ Ἐκ νυκτὸς ἕτερον λιμέν' ἔχουσ' ἐξευρέθη.*

187) Apud Plutarch. Non posse suav. vivi sec. Epic. 12 vol. VI p. 194: *Ἥ τ' Ἀφροδίτη τοῖς γέρουσιν ἄχθεται.* Phoenic. fr. 1: *Δέσποινα γὰρ γέροντι νυμφίῳ γυνή.* fr. 2: *Πικρὸν νέᾳ γυναικὶ πρεσβύτης ἀνήρ.* Dan. fr. 2: *Γυναικί τ' ἐχθρὸν χρῆμα πρεσβύτης ἀνήρ,* alia.

188) Aristoph. Thesmoph. 410 sqq. Bio ap. Diog. Laërt. IV, 48. cf. Valckenar. Diatr. Eurip. p. 272 sqq.

189) Vid. Plutarch. Vit. Solon. 20.

190) De myst. 148.

ἐμαυτοῦ; τὸν πατέρα; ἀλλὰ τέθνηκεν. ἀλλὰ τοὺς ἀδελφούς; ἀλλ' οὐκ εἰσίν. ἀλλὰ τοὺς παῖδας; ἀλλ' οὔπω γεγένηνται. haec enim non potest fieri ut ab Andocide dicta esse credantur ea occasione, eo loco, iis coram hominibus, apud quos non risum et cachinnos sed miserationem movere vellet, si eam aetatem egit, quam Vitae scriptor ei tribuit. nam ut Platonem taceam, cuius sententiam supra retuli, etiam summus Aristoteles 191) scripsit: Γεννᾷ δ' ἄνθρωπος μὲν τὸ ἔσχατον μέχρι ἑβδομήκοντα ἐτῶν ὁ ἄῤῥην — — ἀλλὰ τοῦτο μὲν σπάνιον — — ὡς δ' ἐπὶ τὸ πολὺ τοῖς (ἀνδράσι) πέντε καὶ ἑξήκοντα ὅρος. et rursus 192): οἱ δ' ἄνδρες οἱ μὲν πλεῖστοι γεννῶσι μέχρι ἑξήκοντα ἐτῶν, ὅταν δ' ὑπερβάλῃ ταῦτα, μέχρι ἑβδομήκοντα· καὶ ἤδη τινὲς γεγεννήκασιν ἑβδομήκοντα ἐτῶν ὄντες. alia testimonia sciens 193) mitto, nec ignoro Masinissam, Numidarum regem, cum XC annos natus obiret, filium quadrimum Stembanum reliquisse 194): sed haec res adeo singularis est, ut merito praetermittatur; nec probabile est adeo valuisse Andocidem, cuius pater voluptatibus enervatus esset. postremo nego, adversarios has nuptias silentio fuisse praetermissuros; sed neque in Lysiae oratione Andocides ob seras has nuptias perstringitur nec ipse quicquam de hac re in apologia dixit. accedit quod tota oratio nullum omnino senii prae se fert signum, sed virili et constanti aetati soli omnis convenit. igitur vel ob solas has nuptias et ob spem prolis procreandae non LXVIII annos natum dixerim Andocidem, cum contra Cephisium oraret, sed XL.

---

191) Hist. Anim. V, 14 p. 545., 26.

192) Ibid. VII, 6 pr. p. 585,, 5.

193) Vid. Schneider. ad Platonis Civit. vol. II. p. 50 b.

194) Polyb. Exc. Virt. XXXI p. 133 Ern. Suidas s. v. *Μασανάσσης* p. 720 Bernh. Plutarch. An seni s. ger. resp. 15 vol. V p. 38. Diodor. Exc. p. 523, 77 Wess. Valer. Max. VIII, 13 Ext. 1. Livius Epit. L: „Adeo etiam versus in senectam viguit, ut post sextum et octogesimum annum filium genuerit", ubi vid. Interpr.

Rem rursus Andocides confirmat in oratione de reditu 195), ubi loquens de rebus, quae Olymp. XCI, 2. commissae sint, de se dicit: ὃς εἰς τοσοῦτον ἦλθον τῆς ἐμαυτοῦ δυςδαιμονίας, εἴτε χρὴ εἰπεῖν *νεότητί* τε καὶ ἀνοίᾳ εἴτε καὶ δυνάμει τῶν πεισάντων με ἐλθεῖν εἰς τοιαύτην συμφορὰν τῶν φρενῶν κτλ. quodsi Andocides illo tempore annum aetatis LIV. egisset, ut iis statuendum est, qui Vitam sequantur, non potuisset *iuventuti* suae culpam tribuere: merito igitur Sauppius 196) in hoc loco offendit, atque vidit iuvenilem imperitiam a tali aetate alienam esse, sed quominus verum reperiret obstabat nimia religio. Vitae scilicet scriptor natum dixit Andocidem Olymp. LXXVIII, 1. sed ut hic tandem facessat; praeter Andocidis locos Lysiam affero testem disertissimum et locupletissimum, qui in oratione in Andocidem scripta, quae habita est itidem Olymp. XCV, 1. et contra quam orationem Andocides de mysteriis oravit 197), talia iecit 198): Φέρε δή, τί σκεψαμένους χρὴ ὑμᾶς Ἀνδοκίδου ἀποψηφίσασθαι; πότερον ὡς στρατιώτης ἀγαθός; ἀλλ' οὐδεπώποτε ἐκ τῆς πόλεως ἐστρατεύσατο, οὔτε ἱππεὺς οὔτε ὁπλίτης, οὔτε τριήραρχος οὔτε ἐπιβάτης, οὔτε πρὸ τῆς συμφορᾶς οὔτε μετὰ τὴν συμφοράν, *πλέον ἢ τετταράκοντα ἔτη γεγονώς*. ut in his primum leviora moneam, nota οὐδεπώποτε *nondum unquam* militasse Andocidem dici, quasi posthac militaturus sit: at si isto tempore natus erat Andocides LXVIII annos, nec postulari nec expectari potuit, ut posthac militaret, si-

195) 7.

196) In Zimmermanni Diario: locum ipsum nunc non possum indicare.

197) Non perspicio, cur viri egregii Krügerus (ad Clintoni Fast. Hell. p. 95) Olymp. XCIV, 2. aut 3, Meierus vero (l. l. III p 4) fere anno tertio Lysiae orationem assignaverint: mihi persuasissimum est, habitam esse Olymp. XCV, 1. cum Andocidea. num Lysiae sit, dubitari potest: sed id saltem intelligere videor, non fictam esse orationem, sed aut a Lysia scriptam aut ab alio huius aetatis rhetore.

198) In Andoc. 46.

quidem cives Attici inde ab anno aetatis LX. vacabant a militia 199). igitur ne dubitari quidem potest, an numerus annorum in Lysiae libris corruptus sit, et frustra Taylorus 200) πλέον ἢ ἑξήκοντα ἔτη γεγονώς et Clintonus 201) πλέον ἢ τετταράκοντα ἀφ' ἥβης ἔτη γεγονώς, praesertim cum ne sic quidem sententia apta sit. acutissime enim monuit Meierus 202), qui reliqua etiam perspexit pleraque omnia, non recte dici virum septem vel octo et sexaginta annos natum „*amplius* sexaginta annos natum". quod igitur iam ex Andocidis orationibus intelleximus, errasse falsum Plutarchum in aetate Andocidis constituenda, id rursus loco disertissimo Lysiae confirmatum videmus, nec errabimus, si Andocidem dicamus Olymp. XCV, 1. annos XLI aut maximum XLII natum fuisse, ut editus sit Olymp. LXXXIV, 3. hinc vero apparet nos supra recte tribuisse praeturam contra Samios et Corinthios antiquiori Andocidi: neque enim credi potest adeo mentitus esse Lysias 203) (oratoris enim est augere et minuere, sed non falsa fingere, quae facile refutari possint), nec Andocides de re siluisset in apologia. quo enim facilius adversarii opprobria refutare potuisset reus et eius nequitiam ostendere, quam commemorato illo classis imperio? postremo etiamsi cum falso Plutarcho faceres, ne tum quidem videretur orator Andocides bellum Samium gessisse: nimis enim abhorret ab antiqua morum simplicitate et a Periclis prudentia, iuvenem XXVII aut XXVIII annorum praetorem creatum esse.

Sed ne id quidem incredibile est, nondum unquam

---

199) Vid. Taylor. ad Lys. p. 244 sqq. Reisk. et quem laudat Hermann. (Griech. Staatsalt. § 152, 11), Vömel. ad Demosth. Olynth. II. p. 115.

200) L. l.

201) Fast. Hell. ad ann. 400, 3.

202) L. l. III p. 5.

203) Optime Meier. l. l. p. 4: „Lysiam autem credibile est ut accusatorem multa invidiose dixisse, auxisse alia, alia detraxisse; tam impudenter mentitum esse credibile non est".

militasse Andocidem, licet possint haec illiberalius dicta censeri: nam ratio haud deest. etenim si natus est Andocides Olymp. LXXXIV, 3., eo anno quo pax facta est, quam de Nicia vocamus, egit annum aetatis XX. igitur ante hanc pacem non potuit stipendia merere, siquidem aetas militaris ab anno XX. incepit, et quanquam fieri potest, ut inter peripolos cum hostibus dimicaverit, recte tamen se habent Lysiae verba: *οὔτε ἱππεὺς οὔτε ὁπλίτης, οὔτε τριήραρχος οὔτε ἐπιβάτης*. deinde vero cum Athenienses bellum renovarent et classem in Siciliam mitterent, a delatoribus correptus est Andocides et infamia affectus, ut rursus non potuerit militare. postremo postquam Euclide archonte rediit, tribus illis annis nullum ab Atheniensibus gestum est bellum. vides igitur rationem nostram cum Lysiae verbis optime convenire: contra si ante hoc tempus natum statueris, profecto haud video, qua ratione militiam effugerit Andocides, aut cur non refutaverit adversarium, si militaverit.

Quid vero quod reliqui etiam Andocidis affines, quorum aetas constitui potest, calculos nostros flagitent? ac Tisandro quidem scimus Epilycum filium fuisse et filiam, e qua Leogoras Andocidem genuit 204): altera eiusdem Tisandri filia Xanthippe Periclis filio nupsit, ut testatur Plutarchus 205) de Pericle loquens: *ὁ γὰρ πρεσβύτατος αὐτῷ τῶν γνησίων υἱῶν Ξάνθιππος, φύσει τε δαπανηρὸς ὢν καὶ γυναικὶ νέᾳ καὶ πολυτελεῖ συνοικῶν, Τισάνδρου* 206) *θυγατέρι τοῦ Ἐπιλύκου, χαλεπῶς ἔφερε*

---

204) Andoc. de myst. 117. de pac. 29, quo loco Epilycus dicitur Artaxerxem Persarum regem Atheniensibus conciliasse: quod foedus licet nullus scriptor commemoraverit, tamen non videtur de fide Andocidis dubitandum esse, ut statuo cum Krügero ad Dionys. p. 351 sq. quodsi Isocrates Panath. 102 sqq. hanc societatem non agnoscit, facile potest demonstrari eum cupide egisse.

205) Vit. Pericl. 36.

206) Sic recte edidit Sintenis. pro volg. *Ἰσάνδρου*, quam mutatio-

τὴν τοῦ πατρὸς ἀκρίβειαν, γλισχρῶς καὶ κατὰ μικρὸν αὐτῷ χορηγοῦντος. liquet vero cum e Plutarcho paullo ante morbum uxorem duxisse Xanthippum, tum Protagoras 207) testatur iuvenem obisse: Τῶν γὰρ υἱέων, νεηνιέων ὄντων καὶ καλῶν, ἐν ὀκτὼ δὲ ταῖς πάσῃσιν ἡμέρῃσιν ἀποθανόντων, νηπενθέως ἀνέτλη. vix igitur factae sunt nuptiae ante Olymp. LXXXVI extr. aut LXXXVII pr., quo tempore Tisandri filia νέα erat teste Plutarcho; neque probabile est, filium eius viri, qui maxime valeret apud Athenienses, duxisse uxorem, cuius flos iam perisset. at nonne prorsus incredibile est, hanc nupsisse, cum soror iam anus esset? sororem enim teste falso Plutarcho Leogoras duxit Olymp. LXXVII extr., altera vero Epilyci filia non nupsit ante Olymp. LXXXVI extr. igitur etiam hoc modo rationes nostrae confirmantur: nam XIII fere annis distare sorores vulgare est. addere possem fratrem horum sororum Epilycum: quodsi soror eius Olymp. LXXVII extr. ducta esset a Leogora, vix ipse Olymp. demum XC matrimonium iniisset; nam quas solas reliquit duas filias 208), eae Olymp. XCV, 1. vix nubiles erant: quae si ante hoc tempus virum ferre potuissent, sine dubio vivo patre alteram uxorem petivisset Andocides. sed si nobiscum Andocidem natum dixeris Olymp. LXXXIV, etiam Epilyci aetas maxime congruit.

Pauca addo de uxore Epilyci et affinibus 209). genuerat Ischomachus 210) duas filias e Chrysiade, quarum

---

nem probare memini Krügerum in censura huius libri. probaverunt etiam Droysen. in Mus. Rhen. 1835 p. 198 not. 47 et Keilius meus in N. Jahrb. f. Phil. u. Paedag. vol. XXVII p. 132.

207) Apud Plutarch. Consol. ad. Apollon. 33. vol. I p. 275.

208) Andoc. de myst. 117 sqq.

209) De his et reliquis vid. Andoc. de Myst. 124 sqq.

210) Quem Xenophon in Oeconomico nobilitavit Ischomachum, dubitari potest an idem sit. nam quanquam scena Oeconomici extrema Socratis vita agitur, tamen colloquium cum uxo-

altera Epilyco nupsit et circa Olymp. XCI. duas filias peperit; altera sub idem tempus a Callia in matrimonium ducta est, postquam e Glauconis filia Hipponicum genuit. sed Ischomachi filia, aegre ferens quod maritus anno nondum praeterlapso etiam cum matre Chrysiade concumberet, suspendio vitam tentavit finire: in vitam tamen revocata divortium videtur fecisse. posthac etiam Chrysiadem dimisit Callias: quae cum gravida esset, filio nato Calliam patrem dixit: qui tamen eiuravit. post multum vero tempus, cum Chrysias anus esset et ille filius invenis, rursus amore Chrysiadis captus est Callias, adeo ut filium quem eiuraverat agnosceret et iureiurando affirmaret, filium sibi e Chrysiade natum esse. postremo eo processit nequitiae, ut Epilyci filiam sibi in matrimonium peteret, quae nata erat e filia Chrysiadis. hae nuptiae si fierent, iure quaesivit Andocides, quo nomine ille Calliae et Chrysiadis filius vocaretur 211): *Τριῶν γὰρ οὐσῶν γυναικῶν, αἷς συνῳκηκὼς ἔσται ὁ πατὴρ αὐτοῦ, τῆς μὲν υἱός ἐστιν, ὥς φησι, τῆς δ' ἀδελφός, τῆς δὲ θεῖος. τίς ἂν εἴη οὗτος; Οἰδίπους ἢ Αἴγισθος; ἢ τί χρὴ αὐτὸν ὀνομάσαι;* ceterum nomen fuisse huic Chrysiadis fillo Protarcho e Platone liquet. nam in Philebo, qui habitus fingitur sub extremam Socratis vitam, Calliae filius 212) dicitur Protarchus, qui Gorgiam audiverit 213). at cum eiuraret Chrysiadis filium Callias, dixerat sibi

---

re nuper ducta, quod inde a cap. 7 exhibetur, diu ante hoc tempus Ischomachus narraverat Socrati. maxime vero apta esse videntur Andocideae Chrysiadi, quod proditur XV annos nata nupsisse Ischomachi uxor (7, 5), et quod marito teste reliqua quidem non docta erat, sed *τά γε ἀμφὶ γαστέρα πάνυ καλῶς ἦλθε πεπαιδευμένη· ὅπερ μέγιστον δοκεῖ παίδευμα εἶναι καὶ ἀνδρὶ καὶ γυναικί* (7, 6). ipse Ischomachus a Xenophonte dicitur *καλός τε κἀγαθὸς* fuisse (6, 17. 7, 2. 3) et videtur opibus abundasse (7, 3). alio tamen loco dabimus, quae de Ischomacho habemus comperta.

211) De Myst. 129.

212) P. 19 B.

213) Ibid. p. 58 A.

nullum filium esse praeter Hipponicum e Glauconis filia natum 214), et optime aetas Platonici et Andocidei iuvenis huic coniecturae convenit. rursus vero in Apologia de Callia legitur 215): *Ἐστὸν γὰρ αὐτῷ δύο υἱέε,* ubi apertissimum est significari Hipponicum et Chrysiadis filium; nam quo tempore Apologia agitur et Philebus, agnoverat filium Chrysiadis Callias. nobilem vero Calliam in Philebo commemorari, et inde collegeris quod Protarchus dicitur 216) *παῖς ἐκείνου τἀνδρός,* et quod familiaris est Gorgiae. accedit quod filii nomen Protarchus nobilissimum est, ut patet e Luciani 217) verbis: *Ἀντὶ τοῦ τέως Πυῤῥίου καὶ Δρόμωνος ἢ Τιβίου* (quae servorum nomina sunt), *Μεγακλῆς ἢ Μεγάβυζος ἢ Πρώταρχος μετονομασθείς.* itaque quem Calliae nothum Metagenes *Φιλοθύτῃ* 218) risit, patet hunc Protarchum esse. ex ipsis vero comici verbis:

α. Ὦ πολῖται δεινὰ πάσχω. β. τίς πολίτης δ' ἐστὶ νῦν
Πλὴν ἄρ' εἰ Σάκας ὁ Μυσὸς καὶ τὸ Καλλίου νόθον,

colligimus, fabulam doctam esse, postquam Callias reconciliatus est Chrysiadi et Protarchum agnovit.

Reliqua, quae de Andocidis affinibus monenda videbantur, alibi dabo: video enim vela contrahenda esse. igitur ut ad Plutarchi qui dicitur locum revertar, postquam ostendi falsa esse, quae de anno natali Andocidis prodidit, num mentitum esse dicemus scriptorem et scientem falsa pro veris dedisse? quod quam probabile sit, nemo non videt: solet enim hic scriptor errare, non mentiri. sed ad explicandum hunc errorem, quem etiam Dionysius errasse videtur, longiore disputatione opus est, quam qua hoc loco fungar. ut paucis significem, quod posthac evincam, id solum veteribus constitit, X annis provectiorem Lysia fu-

---

214) Andoc. de Myst. 126.
215) P. 20 A.
216) P. 36 C.
217) Timon. 22.
218) Apud schol. Aristoph. Vesp. 1260 (1216). cf. Bergk. de Comoed. Att. p. 124.

isse Andocidem: quem Olymp. LXXVIII, 1. assignaverunt, quia Lysiam crederent Philocle archonte Olymp. LXXX, 2. editum esse. sed hic maximus error est: demonstrabo enim, natum esse Lysiam Olymp. LXXXVI extr., in patris domo Olymp. XC, teste Platone, Socratis et Thrasymachi de iusto sermones audisse, et *patre mortuo* Olymp. XC extr. Thurios abisse XVI. fere annum agentem, unde redierit, quo tempore CCCC rempublicam habebant Olymp. XCII, 1 extr. itaque non corrigenda sunt falsi Plutarchi verba, ut Meiero V. Cl. visum est, sed probe tenendum quam fallax sit et hic scriptor et Dionysius et Athenaeus et alii semidocti huius generis scriptores.



STEMMA.

Charias.

Ischomachus. Chrysias. Callias, Hipponici f. Epilycus I. Leogoras I. filia. Incertus.

Protarchus. Tisander. Andocides I. filia. filia.

Critias.

filia I. m. Callias, Hipponici f. filia II. Epilycus II. filia II. m. Xanthippus, Periclis f. filia I. Leogoras II. filia. Aristoteles.

Telecles.

filia I. sponsa Leagro, Calliae Hipponici f., Andocidi II, Protarcho. filia II. sponsa Andocidi II. Euphemus. Callias. filia. Andocides II. Charmides.

HALAE

FORMIS SEMMLERIANIS.